
IOH. FRID. CHRISTII

FABVLARVM VETERVM AESOPIARVM LIBRI DVO



LIPSIAE

EX OFFICINA BREITKOPFIA

A C. N. CIↃ IↃCC XXXXVIIII





PRAEFATIO



uum reliquae litterae proauorum memoria e monumentis veterum excitatae ſurgerent, etiam fabulae Aeſopiae honeſtiſſimo ingeniorum certamine nituerunt: vt adeo ante Fontanum, quem aliqui vnum ferunt, eſſent homines docti non pauci, qui oſtenderent, quo pacto optime narranda fabula eſſet. Attamen, ſi formam huius argumenti propius intueare, velis que ſcribendo impletam fuiſſe illius menſuram, deſideres que legere fabulas facetas et commodas, valde que, ad imaginem vetuſtatis, Latinas, in arctum copiae coguntur. Nam quà paucos aeſtimamus ſcriptores, qui optime in eo genere verſati ſunt, vt Camerarius, vt Faernus: ad rectam puerorum inſtitutionem, cui rei vnice eos ſtuduiſſe conſtat, ferme ſatis: ad reliquas fabulae Aeſopiae virtutes, ſi quaedam non multa exceperis, pa-

rum praestiterunt. Amplius nimirum illi vitam humanam praeceptis instruerent: viros etiam quadam faceta eleganti que vrbanitate, dum pueros informabant, tenerent: adderent interdum copiam, rebus que paruis dignitatem. Ista intuitus argumenti naturam, neque iniquus iudex, iuxta mecum putabis. Nisi quaeuis vndique congesta, ea que narrata pure, verbis que, quam fieri potest, paucissimis, fabulam esse protinus Aesopiam, quae probari debeat, existimes. Hoc propositum fuit illis ingenio ac virtute primariis viris, adstricta insigni brevitate argumenta fabularum quamplurima tradere. Sed narratio mollis et iucunda, quae illis rebus, tanquam animae corpus suum, circumdatur, copiam nonnullam festiuam poscit: non istam tenuitatem paene siccam. In vbertate satietas vitanda est hactenus, ne deficiat animus legentium, pascendus ille prouentu quodam elegantiae vrbanitatis que iuxta fabulam sitae. Illi plerumque scriptores velut ossa ingenii Aesopei, carnes ac neruos repraesentare non sunt ausi. Qua in re ille quoque, suspectus mihi merito suo Phaedri sub nomine poeta, falsus fuit, dum, quas periochas fabularum inuenerat, nouo verborum compendio arctiores plerasque, quam erant praebitae, videtur fecisse, sola breuitate munda mensus fabulae virtutem. Hanc autem dari mihi veniam hac in re postulo, vt liceat tantisper, dum omnia liquidius apparuerint, quinque Phaedri libros,

qurales

quales sunt editi, saltem ex parte, graues ob caussas suspectos habere, id que cum integra eorum, qui nostra legent, gratia. Amant enim eum aut assuetudine a pueritia ediscendi, aut iudicio, multi, et sensi eos aegre ferre libertatem sententiae meae. Est vero facetus subinde ac nitidus, candoris que veteris Latii aemulus: labat in aliis, quae fugiunt plerosque, aut reliquis eius virtutibus donantur. Accedit cognita ac spectata illius, qui primus edidit, fides: praecipua eorum, quorum quisque ingenii ac litterarum sua aetate, suo in populo, facile princeps esset, auctoritas testata: publicus expetendis repetitae toties editionis exemplis fauor: alia eiuscemodi. Sed obstant his, praeterquam quod res et verba sunt prodita in libris illis quinque multa, quae cum temporibus, personis, institutis, sententiis que Romae veteris aperte pugnant, testimonia certa fide dignissimorum hominum, ac monumenta librorum aliorum. De quibus equidem commentando traxi notas atque animaduersiones plurimas, quarum vi coniuncta sic ille arguitur vrguetur que, vt monstri sit simile futurum, si tamen esse verus, tot rebus abludens et mancus, vincatur. Inter tanta tamen operis contaminati, mentientis que saeculum et nomen alienum, signa, nullum mihi videtur maius esse, quam forma quaedam narrationis disertae, quam prope vbique veteres, ille, si paucissimas exceperis fabulas, prope nusquam recte tenuit.

 Ideir-

Idcirco mihi viſus ſum, hanc amplexus partem, operae pretium facturus, ſi meis his fabellis, quarum argumenta et verba quoque aliqua e libris eis petita ſunt, e quibus puto qualemcunque Phaedrum profeciſſe, quid poſſet in his narratione meliore fieri, experimento tentarem. Curaui autem, vt ad hos propemodum redactae numeros, ad haec verba, ad has facetias, fabulae viderentur prodire, quibus rebus olim ſcriptas fuiſſe trimetris, ante Phaedrum perſonatum, ab aliquo poeta vetere, veriſimillimum eſt. Non omnis earum forma, mea quidem ſententia, quanquam in epitomen conciſae ſint, ſic interiit, vt ne pleniora ſaepe melioraque Phaedrinis exire ſic quoque in publicum, vetuſtorum librorum e veſtigiis, poſſe crederem. Iſtud ſi ſim aſſecutus ingenio, iudiciis aliorum aeſtimandum lubens permitto. Putaui vero, ſumendam eſſe mihi hanc operam, etſi gratuita ſit futura: dummodo vera exemplo oſtenderem, ac rectiſſima quaeque vel hoc luſu docerem: ſimul Phaedri nomen, ſuſpectum mihi, falſisque quibusdam rebus circumdatum, nudarem.

Aeſopias inſcripſi fabulas, non modo eius exemplo, qui pro Phaedro fertur, verum etiam quia bonum ac traditum a veteribus vocabulum eſſe reor, vt fabulae, quae ad ſimilitudinem earum, quas Aeſopus tradidiſſet, velut imitando eum, fierent, Aeſopiae: reliquae,

ab

ab ipso inuentae, Aesopi, aut Aesopicae, non Aesopiae, vocarentur. Ipse certe, quem pro Phaedro legunt vulgo,

Quas Aesopias, non Aesopi, nomino.

et mox deinde,

Vsus vetusto genere, sed rebus nouis.

ac rursus,

Aesopi nomen sicubi interposuero,
Auctoritatis esse scito gratia.

Hanc autem verbi formam, tanquam mundiorem, soni caussa potius retinui, producta quidem altera a fine syllaba, quam vt *Aesopeas* dicerem: vtut hoc quoque rectum sit, atque etiam casu, aliterque inflexo vocabulo, nitidius altero. Vt vicissim sonantius cadat ac melius, de *Aesopeis* memorare, quam de *Aesopiis*. Scio tamen, me non vbique, quas praescripsi in titulo, Aesopias praestare, sed in quibusdam paucis Aesopi fabulas. Mihi enim per eos, quos secutus sum, retinere aut relinquere quas vellem, integrum non fuit. Sed ille, qui pro Phaedro habetur, posuit primum non paucissimas fabulas, quae, ipsius arbitrio ac finitione, Aesopiae non sunt, sed Aesopi: quas ipse, nolle attingere, professus fuerat. Res ipsas vetustas narrat saepe, non modo vetusti generis, quod ait, argumenta. Aesopi

 non

non nomen ſolum, vt ſcribit, auctoritatis gratia: ſed ingenium eius ſubinde, et res ab eo petitas, interponit. Deinde narrationes quoque ac facetias aliquas pro fabulis, quae ne fabulae quidem. Poſtremo fabulas, quae nullo pacto Aeſopiae, ſed, ſi quid ſunt, Sybariticae fortaſſis, aut aliquid eiusmodi, erant dicendae. Quibus rebus omnibus ſuſpectus videri eruditis hominibus debet.

De eo fabularum opere Aeſopiarum, quas ille, qui conſcripſit, profitetur potius, quam praeſtat, quid ſentirem, nuper libro publicato oſtendi. Accedunt alia multa praeterea ſuſpecti operis argumenta, quae nos tunc, ne moleſti videremur, omiſimus. Nunc vnum eorum vt accurate mecum conſiderent, qui ad iſta legenda accedunt, rogo: et eſt operae pretium, quid ſit, cognoſſe.

Habentur in bibliothecis codices vetuſti, quorum operum ſcriptores qualescunque oportet ante quadringentos aut quingentos ad minimum annos vixiſſe. In eis libris leguntur fabulae Aeſopiae, atque aliae vtcunque facetiae, oratione de carminibus ſoluta, ea que ſemilatina, non compoſitae ingenio, nam nihil hic neque rerum, neque verborum, ex eorum copiis eſt, qui effectores epitomarum vetera deſcribebant: ſed fabulae igitur temere contractae, atque in vnum congeſtae. Non eſt, qui coegit,

hono

homo vnus, neque opus vnum, e quo petitae: nihil coloris vnius. Epitomae sunt inscienter arctatae scriptorum veterum aliquanto meliorum, quam id cognosci facile ex hac misere depravata eorum specie potest. Sed illa nimirum interciderunt. Haec verborum elegantiae que omnis compendia, erroribus potius et inscientia relinquendi optima, substituendi praua, quam vllo bono suo, censenda sunt. Eorum, vt iudicare iam omnes possint, qualia sint ista, publicando copiam fecit adolescens eo tempore egregius Ioh. Federicus Nilant Gronouii maioris e filia nepos. Anni sunt prope quadraginta ex quo liber eius Lugduni Batauorum prodiit. Bona pars est epitomarum, quales etiam in aliis codicum membranis, ad eum modum de fabulis Aesopeis factae, leguntur. Tanti vix erit, vt aliquis otio suo male consulturus porro conquirat. attamen, si quis curet, si quis inde quoque, quidquid inerit boni succi, studio ad fabulas redigat, possit aliquod non spernendum nostris corollarium adiungere. Ego interea istis ab Nilantio publicatis ideo quoque contentus fui, ne non cuiuis erudito, quid, quibus exemplis scripserim, facile appareret. Ille, quarum copiam editione fecit, *Fabulas Antiquas* ἁπλῶς, et mox errore, *ex Phaedro* esse, quando ex his potius Phaedri fabulae: deinde inscripsit alias, nihilo illis deteriores, *Romuli fabulas Aesopias*. Ante illum in libris indiscretae reperiuntur laudari indicari que modo

 Aesopi,

Aesopi, modo Romuli, modo Rimicii, modo Phaedri, a Gudio quidem, aliorumque, falsis partim nominibus, modo nullo nomine. Nam Rimicium certe, corrupto per errorem nomine, non alium virum intellegi debere, quam qui se Rynucium Thessalum operi fabularum praescripsit, verisimillimum est: idque fuit alio tempore a nobis disputatum. In ea Nilantina fabularum congerie proposita inueniuntur ac descripta argumenta non pauca earum fabularum, quae etiam in Phaedri libris, ac praeterea alia item simillima illorum, sed non tradita in his, quae esse Phaedri putantur. Quicunque igitur fabulas tales congerere olim aggressi ista commentaria fecerunt, nihil aliud pensi habuisse operibus arguuntur, nisi vt carmina, quae repererant, orationis alioqui pedestris, fabulisque conuenientissimae, simplicitate candida concepta, demitterent etiam ad ineptam humilitatem, ac soluerent, truncarent que, et contraherent omnia. Omnia videlicet instituti sui et incepti bona metiti vnica illa tenui ac sicca sermonis barbari breuitate. Procrustae more dicas ad modulum ac pedem ingenii sui omnia exegisse, resecuisse que quidquid extare ex facultate sua, et superare infantiam videbatur. Eneruem verbis paucis, ac saepe nec verbis, vocem narrationis pro sermone, hoc tantum consilio, vt tempori, et curae, et membranis parcerent, edebant. Hi tales tamen, qui breuitatem solam vnice sectabantur,

bantur, qui de suo addere aliquid, duntaxat sanum, si maxime cuperent, non possent, vbi in easdem fabulas, in quas item qui pro Phaedro scripsit, incurrerunt, verba, quae ipse, et numeros subinde eosdem, referunt, atque insuper non vocabula modo commoda, ac facetias interdum mundas, verum etiam trimetros totos frequentant haud malos, quorum omnium in eisdem saepe apud Phaedrum fabulis nullum vestigium est. Quid, quod illis commentariis, breuitate frigida vitiosis, breuior adstrictior que in longe plurimis fabellis Phaeder est. Verba saepe bona, earum que fabularum propria, sententias que veras ac splendidas, quae in semibarbaris earum reliquiis insertae leguntur, omisisse ille, comparandis inter se dictorum similitudine libris, arguitur. Hoc vnde natum dicas : has res vnde illi peterent, defecti omnibus, non modo ingenio: nisi fuissent in eorum manibus fabulae veteres trimetris Latinis scriptae, diuersae ab his, quae dicuntur Phaedri, atque eis aliquanto ampliores facetiores que ? Ex his nimirum, quae interciderunt, intelleguntur ingeniorum isti Procrustae suas epitomas fecisse : atque post deinde qui pro Phaedro habetur, aut de illis trimetris alio compendio pauciores peiores que, tanquam in hosticum delatus, et inde cum istis in commune praedas agens, aut, quod est potius, multo que dicitur procliuius, ex his solutarum oratione prosa ac tenui fabula-

rum epitomis, numeros qualescunque delegisse, qui ad trimetros libris quinque fabularum explicandos redirent. Illos autem versus, quia e reliquiis agnoscebat olim scriptos fuisse, tanquam si restitueret Iambis saepe non bonis, vt visum fuit, refecit, digessit que ex parte aliter pro arbitrio fabulas. Nam istos certe epitomarum scriptores plurima sat bona atque splendida non ex illo sumsisse, verum ex alio, manifestum est. Non igitur potest fieri, vt reliqua, quae in eadem cum illis alienis argumenta saepe concurrunt, ex eo sumserint: Aliunde habent suam, Phaedri dictione subinde pleniorem, rebus que praeter eius verba commodis interpolatam, infantiam. Ille potius breuitatem suam fabulis horum exemplo circumdedit. Neque est credibile eum, si e vetustiore poeta profecisset, pauciores peiores que trimetros de trimetris facturum fuisse. Praeterquam autem verba, et res, et numeros epitomarum, quae omnia frequenter meliora Phaedrinis, eum arguunt, ordo quoque fabularum nondum totus conuulsus in epitomis quamuis temere descriptis, plus rationis, quam in Phaedro, habet, et quaedam sua vetustatis vestigia, eo que ostendit, ex his eum, non hos ex illo, sua repetisse. Adde prooemia, quae item similiora hic veris conuenientibus que operum principiis, quam qualia apud Phaedrum extant. Horum enim illa si ex eo essent, breuiora omnia exissent, non, vt sunt pleraque, ampliora:

pliora: neque aliae apparerent, quam apud illum, initio operis fabulae, illaeque praecinctae melioribus principiis, quibuscum rectius concinunt, quam cum suis Phaedri dicta. Testantur etiam ipsi, qui fabularum epitomen scribere conati sunt, poetam eum, e quo profecerunt, cuius disiecta inter verba eorum membra apparent, in principio operis sui posuisse fabulam *de Gallo gallinaceo et margarita*. Nilantii certe Romulus ibi, *Aesopus*, inquit, *hanc primam fabulam dicit*. Aesopus nimirum appellatur ab eo, more temporum illorum, quiuis fabularum scriptor, tanquam communi multis, non proprio nomine, ille ibi, e quo sua sumserat. Namque mixtim, neque vllo discrimine, quaecunque erant in manibus fabularum talium opera, Aesopos vocabant. Si e Phaedro Romulus petiisset, quae concideret, is scilicet ei Aesopus esset. Non autem e Phaedro sua deriuasse, hoc argumento sine exceptione euincitur, quod non primam eam fabulam, vt ait Romulus, sed tertii libri duodecimam, qui pro Phaedro habetur, posuit. Graeculi quoque olim in fabularum, quae Aesopi inscribuntur, congerie duplici, aut si Pseudobabriam illis adiectum censeas, triplici, nusquam hanc primam ediderunt: ne forte suspiceris Graecis litteris, aut omnino commentariis Graecorum, adiutum Romulum fuisse. In Anonymo Neueleti, qui subinde a me, ne aliquo nomine careret, Accius vocitatus est,

prima

prima haec quidem fabula legitur. Sed nisi vetustatis argumento ante hunc Anonymum vixisse Romulus, quisquis est, probaretur, in huius epitome iambicorum versuum numeri et fragmenta apparent, non item saepe dactylici generis, quo est scriptus Anonymi liber. Non igitur ex eo quidquam, neque e Phaedri opere, petiit Romulus. At enimuero vel hoc indicio est, extitisse poetam vetustum, qui fabulas Aesopias, partim alias, alio ordine, quam Phaeder, copiosius item ampliusque iambis Latinis conceptas, litteris prodidisset, non Phaedri, sed alio quocunque, quod ignoratur, nomine. Ex eo arguuntur vel ordine fabularum hausisse suarum pleraque incertus primo Antiquarum, vt Nilantius eas vocat, descriptor: mox Romulus vterque prosa et vorsa fabulas edidisse intellectus fortasse potius errore multorum, quam traditus: dein Anonymus Neueleti. Ex his postremo diuersis epitomis profecisse argumentis multis vincitur, quicunque, animaduersis inter verba eorum semilatina ac deprehensis multis veteris poetae trimetris, inuento item Phaedri alicuius olim fabularum scriptoris in Auiani epistola nomine, putauit restituere se hunc poetam ex epitomis posse, eumque Phaedrum, quem Auianus laudaret, videri. Idcirco aggressus est plerasque earum fabularum, quae in quinque libris leguntur, ex illis commentariis refingere, ante trecentos propemodum annos, mea quidem sententia,

Perot-

Perottus. Traditum ille fabularum ordinem pro arbitrio turbauit: omiſit multa: addidit quaedam e vetuſtis ingeniorum monumentis aliis, quorum ad nos neque reliquiae peruenerunt, neque aliud vllum veſtigium, praeterquam quod ille, qui pro Phaedro fertur, ſtilo ſuo fecit. Quodſi contra illi omnes, quod quidem factum fuiſſe cenſent ac propugnant viri multi doctiſſimi, e Phaedro profeciſſent: qui potuit euenire, vt tanto interuallo reiectam ab illo de gallo gallinaceo fabulam ex compacto primam operum ſuorum omnes facerent? Quae eſſet cauſſa, cur Romulus etiam teſtaretur, ſe in libris principio ſcriptam inueniſſe? Extant etiam alia, vt dixi, ordinis turbati ſigna. Nam in alio vetuſti operis volumine ante hanc fabulam videtur poſita fuiſſe vna de ranis regem petentibus cum prooemio ſuo: aut hanc fabulam de ranis, tanquam partem prooemii, miſcuit Romulus cum principiis libri, neque vllo in numero ſigillatim vt fabulam, ne computaret, habuit: quo factum eſt, vt alteram de gallo, quum haec de ranis prooemium ipſum eius opinione eſſet, primam appellare poſſet. Huius quoque rei mihi viſus eſt idem indicium facere initio libri, ex quo initio prooemium veteris illius, quem dixi, poetae amiſſi, rectius ſimpliciusque expreſſiſſe me, et quodam pacto reſtituiſſe puto, quam id, qui pro Phaedro eſt, fecit. Is enim hoc ipſum operis totius, non

vnius

vnius fabulae, principium, sine ratione, atque, vt mihi quidem videtur, perperam, post primam fabulam lupi et agni collocauit.

Illis propterea, de quibus hactenus dixi, fabularum epitomis semibarbaris, ad hunc modum ego in praesens vsus sum, vt eadem ferme, quae in Phaedri libris tractata sunt argumenta, ex Antiquarum et Romuli commentariis, ad verba antiqua, vt mihi videbantur, et proba, ad sententiam veram, quae fere vbique luxata fuit, ad facetias nonnullas semper ab illis aut relictas, aut inquinatas, ad numeros et metrum iambis fabularum debitum, ab scopis, vt aiunt, dissolutis reuocarem. Feci istud sepositis interea Phaedri qualiscunque libris, neque puto accidisse, vt frequenter admodum in eius verba, et numeros, et sententiam scribendo incurrerem, eadem que, quae ille quoque, saepe ponerem. Nam ne quidem inde memoriter me tenere multa, vt vel imprudenti se ingererent, puto: posteaquam olim me non modo cepit, sed ne morata quidem est aliqua specie illius facundia scriptoris: solent autem iucundissima lectu, quae mireris impense, obhaerere in animo: quae leui studio tetigeris, non item. Attamen, quia eadem vterque e communi velut fundo messuimus, debuit sane contingere, vt interdum eadem mihi, quae ei, verba, iidem numeri, eaedem sententiae, in eodem argumento subnascerentur. Quae neque

que requisiui, neque sponte oblata, tanquam si occupata ab alio essent, repudianda ob id putaui. Quaerimus enim, non quid ego possim, non quam varie verbis aliis expediri fabula possit: sed quid ille vetus videatur scripsisse, quem, quicunque pro Phaedro sua edidit, voluit item, vt ego, reddere. Verum tamen ea cura, dum antiqua, aut antiquorum gemina similitudine, restituere conor, maius aliquanto negotium mihi exhibuit, ne non redirent commissuris suis haec hiulca ad aliquem carminis Latini nitorem, quam si de non inuentis noua omnia fecissem. Quare eodem in loco habendae sunt hae duobus libris nunc in publicum emissae fabulae, vtut sint, argumentis, et verbis etiam nonnullis, quas equidem esse inscripsi, veteres, atque si totae meae essent. Quia, praeterquam quod ferme argumenta sola, atque ea quoque corrupta misere que saepe habita, nobis praebebantur, e tenuissimis plerumque vestigiis diuinandum fuit, non modo quid restituendum, quid addendum inuentis videretur, verum etiam deprehendendum, quid ex quo corruptum deprauatum que esset. Nam illi ad reliqua tardi, dum resecant ac relinquunt optima quaeque, praua vocabula pro bonis, tanquam breuiora expeditiora que, et eorum certe animis planiora apertiora que, nobis obtrudunt: ac praeterea in aliquos quoque saepe numeros casu deueniunt, idque faciunt adeo latenter, vt diligentia opus sit multa in illis

 velut

velut ſcrupis amouendis. Eo fit, vt diuerſi hoc idem aggreſſi opus diuerſiſſima ſcribendo extuderint. atque idcirco erat nobis nonnulla cum libertate honeſta, neque anxie, in illa re, quoad licuit, verſandum. Sed eſt cauſſa, cur hoc pacto ſcriptionis noſtrae iſtius quantulaecunque rationem edamus minime iactabundi, ne quis vel illam neceſſariam ingeniis libertatem eleuare velit, vel operam noſtram, tanquam in alieno, praebitis, vnde iſta fierent, vtcunque occupatam. Inuentis enim facile eſt, inquiunt, addere quae velis. Verum eſt iſtud. Sed his tamen inuentis tam laceris difficilius fuit addere integra ac ſana dicta, vt aliqua facies decora operis vtiliſſimi exiſtèret, quam ſi noua omnia commentando, neque vllo praeſcripto operis fine aut modo, feciſſemus. Sed mittemus iam nunc iſta. Quoniam exhauſi eam lubenti animo, vtcunque erat, moleſtiam, quo certius planiusque appareret, quales ſint in manibus fabulae Phaedri, et quales erant propemodum futurae, velut archetypo poeta reſtituto, ſi antiqua et veriora earum exempla apparerent. Coniunxi autem in reſtituendis fabulis vtrumque commentarium, *Antiquarum* qui inſcribitur, et *Romuli*. Iſte enim bona quaedam ſaepe habet, quae ille breuitatis ſtudio omiſit. Religio tamen mihi non erat, quo minus adderem ſubinde, quae neuter poſuerat: mutarem, quae vterque. Nam formam potius ſpirantesque animas fabularum,

quales

quales olim viderentur fuiſſe, quam verborum quaſdam reliquias me repraeſentaturum, intellegebam. Satis mihi viſus praeſtare, ſi ampliora hactenus, qua niteſcere de relictis vellent, redderem: haud abſurda in loco verba adiungere. Hoc enim, vt dixi, vitioſi illi ingeniorum Procruſtae, hoc vitioſus quicunque pro Phaedro ſcripſit, quod inſcite contrahunt omnia, omittunt facetias, ac velut parerga fabulis debita, ſimul aliquid reconditius ſpirare illa viſa ſunt. Poteſt fieri, et eſt veriſimile, vt ille, qui reſtituere Phaedrum fabulis inſtituiſſet ad numeros redigendis, quia multiplicis figurae hae diſſolutae in proſam orationem Aeſopiae variis voluminum contextibus feruntur, amplioribus ac ſaepe melioribus libris ſit vſus, quam quidem ego Nilantii beneficio. Ad eius enim copias propemodum redactus fui. Ex illis libris plenioribus ac diuerſis partim, ſiue Perottus, ſeu quisquis ante Perottum hoc idem conatus credi poteſt, mox Phaeder inſerto ac praeſcripto nomine futurus, aliqua ſane bona dextre ſumſit, atque aliqua fortaſſis ipſe quoque, vt erat ingenioſus, noua fecit, quorum in libris nullum veſtigium eſſet. Paucas idem fabulas vtrique noſtrum communes potuit quibusdam rebus, ac verbis fortaſſe, mundiores edere, aut alio, quam nos exemplo, cum diuerſum ſonantibus libris vteremur, ornatiores extundere. Nobis nouare omnia integrum non erat, neque propoſitum, cum iſto

velut alternis certare. Non tamen facere ille potuit, quin corrupta faſſus et manca fabularum in libris, e quibus ſcriberet, argumenta, deficeret in multis, quae parum recte apud eum explicantur, aut frigida breuitate adſtricta iacent. In quibus ſpero equidem, dum antiquis ingeniorum veſtigiis preſſius inſiſto, ac veritati litterarum, quantum licet, ſeruio, meliora, quam ille, me repraeſentare multa.

Verſuum quoque iambicorum ratio et figura, quam tenuit poeta vetus, ante hunc perſona Phaedri facetum, a me, niſi me omnia fallunt, liquido deprehenſa eſt, atque carminibus his expreſſa. Non erat illa perſpecta neque ſervata ſiue Perotto, ſeu quicunque Phaedri figulus eſt. Potuerat igitur poeta vetus ſenariis legitimis expedire Aeſopias totas: ſed abſtinuit, fecitque ſapienter. Nam pes ille ſui ſimilis toto libro decurrens, nimisque incitatus, rapere lectorum ſtudia, non ducere velut amoenis viarum ſpatiis, videretur: nimiumque haberet operae, ferretque, tanquam ſi delicias in re parua facturus ſcribas, taedium profecto ſui. Trimetris ille vſus eſt ſumma cum ratione talibus, quales, receſſuros ab epigrammatum propera ac feſtiua leuitate, mediosque inter grauitatem tragoediae comoediaeque humilitatem diſcinctam, argumentum fabulae plane poſcebat. Cauit enim prudenter, ne ſenariis comicorum fabulas ſcriberet, aut ne

eorum

eorum licentiam vllo pacto admitteret: in quo mihi videtur reliquam illius ſaeculi diligentiam, quae rara in Phaedro, retinuiſſe atque expreſſiſſe. Nam cauſſa, quae Comicis Latinis ſuaſit, vt iambicos ſuos aut trochaicos infra omnem ſaepe numerorum ſuſpicionem abiicerent, quo rectius pedeſtrem familiaremque ſermonem referrent, ea nulla eſt in fabula Aeſopia. quae, vtut familiariter, aliqua tamen cum cura, aliqua cum arte, a maioribus aetate fere ſolet narrari his, quos admonere illi volunt minores. Poteſt igitur pati mixtam facilitati quandam ſententiarum grauitatem: quod etiam in comoedia ſecus eſt. In eo autem mihi videtur peccaſſe Fontanus, qui multas ſuarum fabulas ſic narrat leuiter, tanquam ſi aliquis feſtiuus aretalogus, qui riſum captaret, in circulo aequalium iſta memoraret: grauis aliquis vir in magiſtratu conſtitutus, aut inter ſuos paterfamilias, has his verbis fabulas frequentare non auderet. Quanquam ſic iudicio videatur inſtituiſſe nitidiſſimas alioqui fabulas: quia illis litteris, quibus vſus eſt, incertum habetur, ſi vllo tolerabili modo expediri rerum narratio minutarum, ſine tali veluti delicias inepto ioco facientium leuitate nonnulla, poſſit. Inſerta enim ſunt interdum illa non linguis modo populorum, ſed ſaeculo quoque et moribus ita, vt, quae aliis trita ac leuia, his decora videantur, ſintque inuenti, qui etiam hiſtoriam ſic ſcribere conarentur,

qui que Hetrusci sermonis formae hoc vitio darent vicissim, tanquam si procliuior ad ioci figuram alludendo sit constitutus. Sed profecto Latina fabula Aesopia vt admittit facetias, ita caritura iocis ineptiis que rectius expeditur. In Comoedia sermones porro quia agebantur ad tibiae modos, quae innumeros horum versuum numeros mirifice adiuuabat, quia Aesopiae fabulae recitabantur in scholis otiose, facile apparet, quod alteri generi decorum sit, alteri vt item sit, fieri non posse. Epigrammatum numeris propiores Aesopiae fiunt: non Comoediae. Quod autem inter *senarios* ac *trimetros* fines aliquos regundos esse arbitror, et ab vtroque distinguo tertium genus, *senarios Comicorum*, qui tam diversi sint a *senariis* priuo vocabulo dicendis, quam a *trimetris* separandi *trimetri iambei*, facio, nisi fallor, cum ratione, fidem que secutus et auctoritatem veterum. Terentianus, cuius magni apud me alios que, propter doctrinae constantiam, verba fiunt, diligenter ac perspicue, quid interesset, exposuit:

Vides, vt ista verba raptet impetus,
Breuem que crebra consequendo longula,
Citum subinde voluat ARCTIVS *sonum*
Iambus. ipse SEX *enim locis manet,*
Et INDE *nomen inditum est* SENARIO.

Sed

Sed TER *feritur:* HINC trimetrus *dicitur,*
Scandendo binos quod pedes coniungimus.

dein post pauca:

Sic fit trimetrus, qui fuit senarius.

Priores ille horum versus vsque ad quintum exempla senariorum praebuerat, iambis sui similibus senos ictus reddentibus: sextum et septimum versum, qui spondeos admiserunt, exempla trimetrorum, quo de genere praecepta edunt, non iam pedibus sui similibus sex, sed metris videlicet tribus censendos. In senario non metra copulantur: nam non est opus duos hic coniungi pedes, vt genus appareat, quod initio statim proditur. non exspectandus est pes secundus, vt metrum, quod sit, dicas. Quo pacto vero Terentianus hos versus numeris suis praeceptorum sententiae respondentes fecit: ita quoque quem singularem posuimus, quia partim trimetrum memorat, partim senarium, diuisit: vt prior de trimetro pars trimetrorum legibus esset composita: altera, *qui fuit senarius*, senarii legem seruaret. Possit aliquis malle apud eum rescribere,

Si ter feritur, hinc trimetrus dicitur.

Sed sic quoque, vt edidimus, satis certa sunt omnia. Longo ante tempore Cicero, dum

 sena-

ſenarios dicit, atque cum eis Hipponacteos, id eſt, ſcazontas, componit, facile intellegitur, non alios, niſi totos iambis ſenis incitatos, dicere, tanquam ſimiliores ſcazontibus: non quoſuis maiore licentia fuſos trimetros, quos diligentia oratoris vix vnquam cauere poſſet: nedum vt oratio comicis verſibus prope innumeris ſimilior, ſi qua forte exiſteret, vitio verteretur. *Senarios vero et Hipponacteos*, inquit, *effugere vix poſſumus. Magnam enim partem ex* IAMBIS *noſtra conſtat oratio.* Puros ac perpetuos ad verſum concludendum putat. Nam, ſi Comicorum ſenarios diceret, potius ſcripſiſſet, *non poſſumus: nullo pacto poſſumus:* neque tum ex iambis conſtare orationem fateretur: ſed etiam ex eorum pedum vicariis, ſpondeis, tribrachis, dactylis, anapaeſtis, qui frequentius in Comico genere ſparſi apparent, quam iambi. Quod autem dixi, comicorum ſimiles verſus in oratione Latina proſa caueri nullo pacto poſſe, cum notum eſt his, qui vtrique rei ſtudium operamque aliquo tempore dederunt, compoſitioni oratoriae puta ac verſibus pangendis: tum id maxime hic ſuo, vt ſaepe, exemplo Cicero probat. Nam proxime ante illa verba tetrametrum catalecticum, qualem Comoedia admitteret, effudit,

Sed non attendimus, neque exaudimus noſmetipſos.

ne illud, quod iſta ſequitur, vrgueam:

Par-

Partem ex iambis noſtra conſtat oratio.

Hoc, quam parum abſit, quo minus in trimetrum ſcazonta recte modulatum exeat, qui ſentiunt numeros, vident. Non igitur qualescunque licentia comica verſus, qui non poſſunt, ſed vix caueri ſenarios veros, iambis ſui ſimilibus ſenis, ait. Verum quod idem paullo ante, *Comicorum ſenarii*, inquit, *propter ſimilitudinem ſermonis ſic ſaepe ſunt abiecti, vt nonnunquam vix in his numerus et verſus intellegi poſſit*: eam ſine dubio vim habet, vt iuncta verba, *Comicorum ſenarius*, longe aliud ſignificarent, quam ſi priuo vocabulo *Senarius* indicaretur. Prorſus vt Horatius iunctis item verbis *Trimetros iambeos* appellari ſcripſit, qui aliquid amplius eſſent quam trimetri: hoc eſt, ſenarii. *Iuſſit iambus*, inquit, *trimetris adcreſcere nomen iambeis*,

- - - *cum ſenos redderet ictus:*

quod eſt ſenarii proprium, non trimetri, qui tres ictus reddit.

Primus ad extremum ſimilis ſibi:

quod eſt manifeſtum, atque ſenario ſoli conveniens, non trimetro. Itaque apparet *trimetrum* ab eo vocari, ſed *iambeum*, quem Terentianus finit *ſenarium* eſſe, non trimetrum. Quid, quod mox Horatius Accii atque Ennii *trimetros* dicit, qui certe nullo pacto erant tri-

metri iambei, aut ſenarii, e ſententia grammaticorum appellandi. Illi enim Accii Ennii que trimetri, non modo dextris locis, qua trimetris licebat, verum etiam ſiniſtris, vel Horatio teſte, niſi fragmenta apparerent, rarum iambum habebant. Quare prorſus neceſſe eſt, intereſſe aliquid, veterum ſenſu, inter ſenarium ac trimetrum. Senarii, ſi me audis, exemplum optimum eſt, Latini quidem, in Phaſelo Catulli, in quibuſdam Horatii odis, in paucis praeterea veterum epigrammatis. Trimeter alius communis erat, qui interdum in oda locum habebat, dein epigrammati, fabulae Aeſopiae, aliis que talibus poematiis debebatur: alius Tragicorum, qui ampliores, quam ille prior, in dextris locis pedes iambi vicarios amaret. Sequitur Comicorum arte potius, quam licentia, abiectus ad imaginem ſermonis meri ſenarius: qui nil niſi nomen ſenarii habet, intellegi ac cenſeri ſex pedibus, nedum iambis, ſaepe vix poteſt. Quamobrem doctum laborioſum que volumen de comicorum verſuum licentia non recte Senarium priuo verbo inſcripſit in Britannis Chr. Waſe: debebat, *Senarium Comicorum.*

In eo quoque olim falſus fuit Perottus, aut quicunque Phaedri ſub nomine fabulas edidit, quod putabat, illos abiectos Comicorum numeros non modo in ſcena, verum etiam in ſchola, recte frequentari, valere que aeque in

aliis

aliis quibuscunque carminibus eius licentiae figuram. Proinde in trimetris, quos esse putabat, suis, non modo imparibus locis spondeos, et quicunque spondei vicem funguntur pedes, sine vllo discrimine posuit, verum etiam paribus, vltimo tantum excepto loco. Ob id recte vt incuriosus ac neglegens metri, quod Aesopeis deberetur, a doctis viris non paucis reprehenditur: nam inscientia non fuisse ab eo peccatum, ostendi. Neque purgat eum, quod ait Hogstratenus in praefatione ad eius fabulas, et est verum; saepe poetam hunc aliquos sex aut decem valde pulcros numerosos que trimetros reliquis parum modulatis interposuisse. Tanto ille enim peior poeta. Debebat autem, si semel comicam quandam licentiam discincto metro professus erat, similem sui numerorum figuram per totum opus custodire, non varium illud, velut maculis extantibus, et pantherinum, vt in Plauti comoedia seruulus alludit, facere. Quod si ad exempla vocari malis, nusquam in Comoedia, quod sciam, Terentius, aut in mimi prologo Laberius, frequentauerunt trimetros ordine plures teretiores inter reliquos comicae figurae versus. nihilo illi quidem magis, quam epigrammatum scriptores contra comicorum senariis similiores versus. Vnus interdum trimeter numerosior in Comoedia sigillatim, aut ad summum vno cum comite, positus lucet: multi simul vno in loco non item. Veram nisi fallor, atque vnicam trimetrorum eius-

modi,

modi, quibus Aesopiae scribi debent, rationem tenuit vetus poeta, quem Antiquarum scriptor et Romulus consciderunt. Illius hi versus, quales ex oratione istorum erutos inueni, plus ponderis, incitationis operaeque paullo minus, quam senarii legitimi, habentes, tam absunt a grauitate tragici metri, quam ab effusa comicorum licentia. Quod quale sit, quando ego quoque hoc exemplum secutus sum, edam. Simul in Antiquis Nilantii, aut in Romuli oratione hiulca, trimeter aliquis totus deprehenditur, quod fit subinde, non est talis, quales sunt, qui in libris quinque Phaedri leguntur plerique. Verum ille sic deprehensus locis paribus, qui et sinistri, iambos suos, vt iubet lex carminis, habet: imparibus ac dextris, cúm iambo aut spondeo aliquos certos, non quoscunque spondei vicarios, pedes. Dextris locis, tertio, nunquam anapaestus: quinto, nunquam dactylus extat: iambus ac tribrachus omnibus peraeque, etiam quinto loco, in quo tamen ego ob caussas rarissime posui, permittitur. Qua in re tota multum a tragicis abest. Sed Phaeder qualiscunque tam licenter his abusus est, vt non modo tertio loco saepe anapaestum, quinto saepe dactylum poneret: verum etiam sinistris, id est, paribus locis, excepto vltimo, merum frequentissime spondeon, ac spondei vicarios: quod soli Comoediae Latinae permissum, rationem trimetrorum, ac paene naturam carminis euertit. Contra deprehendi nuper, cum exempla con-

quire-

quirerem, Faernum quoque in Aeſopeis olim ferme ſeruauiſſe meam, de qua memoraui, non Phaedri, quem dicunt, formulam. At illa mea ſine dubio antiqua et vera eſt. Veniamus ad veſtigia metri, quae impreſſa ſunt in Antiquis a Nilantio publicatis. In nona continuo eius editionis fabula legitur trimeter totus teres, et ad illam legem probandus.

Nunquam fidelis cum potente ſocietas.

Idem verſus exemplum eſt tribrachi in quinto. Alium ponemus ex oratione proſa fabulae XV exceptum, item recte tornatum, qui praeſtat ſpondeon in quinto,

O quis tuarum, corue, pennarum vigor.

Duo ſequuntur ſumti de fabula XXI, quorum prior exemplum eſt iambi in quinto:

Ranae vagantes liberis paludibus
Clamore regem flagitabant ab Ioue.

Rurſus ibidem anapaeſti in quinto exemplum:

Motu ſonoque terruit pauidum genus.
Illae timore poſito certatim adnatant.

Ponemus item alios ſimiles verſus ex oratione ſoluta voluminis Antiquarum paſſim delectos.

Auxilia cum requirit, exitium inuenit.
Tumens inani graculus ſuperbia.
Illi impudenti pennas eripiunt aui.

Qui

Qui tamen verſus contaminatus, vt multi, videtur. Labaſcit enim quarto loco metrum. Meliores iſti,

Contentus iſtis ſi fuiſſes ſedibus.
Ne gloriari libeat alienis bonis.
Potes meis te comparare laudibus.
Tu non videris perdidiſſe quod petis,
Te credo ſurpuiſſe quod pulcre negas.
Hic ſe per auras ſuſtulit penna leui.
Vt vidit aſinus, tali eum irriſit modo.
Queſtu que vano clamitantem interficit.

Hi verſus omnes ex oratione proſa Antiquarum nullo negotio delecti, atque alii eorum ſimiles, quos inde ſuapte opera, quiſquis abuti otio voluerit, conquirere, ſi ſit opus, poteſt: aut partim in noſtris fabulis, conferendo Nilantii libro, repetitos inuenire: hi igitur verſus omnes, quoniam plane ad eam trimetri legem, quam ſupra ſcripſi, numeris ſuis reſpondent, nunquam temere factum dicas, vt hic maxime, neque alii multo plures abiecti ſolutiores que metro licentiore, quales in Phaedri libris plurimi ſunt, in hac quoque epitoma frequententur. Sed ſunt hi velut aliqui canones numerorum, quibus fabulas vetus ante Phaedrum poeta adſtrinxiſſe deprehenditur, ſimul argumenta non ſinceri operis Phaedri, quod hinc ortum, cum oſtentet ſumtos de epitoma trimetros frequentes, et praeterea multos eorum diſſimiles, ſcabros atque abnormes, qui in epitoma in litteras non ſunt

ſunt relati, numeris ac verbis diſtinguit vetuſta ac vera ab adulterinis. Qui enim fieret, ſi ille poeta vetus hos etiam ſcabros vſurpaſſet, vt non hi quoque in oratione ſoluta frequentes apparerent? quod non vſuuenire, ſi quis adſpiciat, manifeſtum eſt. Poſſis fortaſſe aliquos paucos eiusmodi, quodam errore intellegendi, inde item eruere. quod equidem diſſimulandum non puto: atque adeo id prae me fero, vt infra in Commentario aliquos tales ipſe producam. Verum, ſi propius eos intueare, temere ad eum modum natos potius in epitoma deſcribenda, quam compoſitos a poeta vetere, agnoſcas. Facile enim fraus in metro eorum intellegendo latuerit, cum verbum pro verbo alio ponentes, qui epitomen faciebant, aut loco mouentes aliqua, poſſunt ſpeciem qualiscunque ſenarii comici reliquiſſe falſam; veros, quos inuenerant, trimetros ſaepiſſime euertiſſe. Non ideo temere verſus, qui apparent in eorum oratione, ſinceri ac traditi a poeta omnes ſunt habendi. Caſu reuoluti ad aliquos numeros, non arte facti ſubinde inſunt: quos equidem diligenter adſpiciendo mihi ſecernere a veris viſus ſum. Eorum quibusdam deceptum etiam Perottum puto: deinde horum exemplo alios item ſcabros neglegentius adiunxiſſe illis, cum ſibi recte aemulari Comoediae licentiam Latinae videretur.

Ego, vt modulatiora edere omnia ſum conatus, ita, ſi Latina etiam pleraque, et faceta prae illis fecerim, ſi Muſis Gratiisque, quod concupiui quidem, hac opera ſuſcepta litauerim, alio-

aliorum iudicium esto. Hoc etiam videndum est, quando honestissimorum virorum prolixe de ingenio nostro existimantium cura, dum operis suis ac machinis librariam scripti negotiationem optime exercent, tam belle nitideque, formis atramentisque tam bonis, certante cum praelis clarissimorum artificum elegantia, opus nostrum qualecunque exscriptum publicatur: vt ei diligentiae laudandae nonnullus quoque in rebus, in sententiis, in verbis situs nitor respondeat, victurumque et gratum eruditis hominibus volumen reddat. Cuius rei nonnihil si videbor assecutus fuisse, vt non soleo certe oscitanter ac somniculose omnia scribere, recte positum, quidquid est operae, putabo. Eas vero animatas ferme alio spiritu reddo fabulas, quas Nilantius Antiquas appellauit, neglectis paucis, de quibus, nitescere ingenio verbisque commodis posse, desperabam. Accedunt Romuli nonnullae. Sed in qualicunque Phaedro leguntur aliquae praeterea minime Aesopiac, nec illae, meo quidem animo, probandae. In his nostris quoque frequentamus earum aliquas paucissimas, quas recte inuentas non putamus. Quod si mea sponte inuenienda mihi argumenta essent, non reddenda vetera, alia eas figura refectas lubentius dedissem. Habet istud fabula Aesopia, vt cuique animanti sit oratio tribuenda secundum eius naturam conuenientissima, vt, quidquid agere solet ac moliri in siluis fera, aut sub tectis pecus, sermo eius ostendat. Qua in re saepe miris modis peccant nostri hodie canticorum vulgari-

um ſcriptores. Omnia debent illic velut arte nulla ſub veſtigio exiſtere naturae ac vero ſimillima, ac ſueta in rebus, praeterquam verba mutis data. Idcirco, qui delphinum ſiluis nunquam appinget poeta bonus, nihilo magis leporem in fabula faciet, animans minime ſtreperum ac minime vocale, *fletus*, vt in Phaedri ac noſtris fabulis, *edentem graues:* aut ouem cum leone venatum profectam, Orpheo ſiluas ducente non inferior. Eiuſmodi fabularum quaſdam ſum praeteruectus: poſui, vt memorabam, pauciſſimas. Tamen iſta, quae putaui relinquenda, tolerabilia ſunt prae quibuſdam Phaedri. Quas ille videlicet, qui Phaedrum compoſuit, atque praeterea nonnullas item bonas, quas nos, quia epitomarum exempla defecerant, non tetigimus, ſumſit ab epitomis aut carminum libris aliis, quorum codices hodie non comparent. Nam aliae contra fabulae, quas libri epitomarum veteres habent, neque tractauit qui Phaedrum reſtituit, multis antiquae litteraturae veſtigiis ingenioſiſſime fictae ſunt. vt illa libro altero de Leone et Simia, vbi vtrumque, quod narrat fabula, animae leonis graue virus, et ſimiae comeſtae morbo remedium, Ariſtotelis Pliniique e monumentis tralatitium videtur. Ornat autem ingenium fabulae, ſi narrationis quidam fundus in veritate naturae et in litteris veterum eſt. Videntur illi codices quadam copia fabularum, et verborum quoque ſaepe, ampliores fuiſſe eo, quem Nilantius verſauit. Expreſſit enim ex illis ſuis libris is, qui pro Phaedro eſt, quaedam

c ſane

ſane munda ac faceta. In aliis argumentis, qua adſtrictiorem copiam epitome praebebat, ipſe quoque vitio breuis eſt aut mancus. Eſt quoque, vbi vitia librorum ac deſcribentium peccata recepiſſe in trimetros ſuos ferme arguitur, qui ne verba quidem plurima ſcriptor inueniſſet, ſed referret. Quas vero illi in ſuis membranis defuiſſe, allectas a me de Nilantii copia, fabulas prodidi minime malas, earum aliquas corollarium Phaedri, cum publicarent, grammatici fecerunt. Eas periiſſe de Phaedri corpore putant. Ego vix inducor, vt credam periiſſe. Sed non infuiſſe has in epitomis fabularum, quibus Perottus vteretur, autumo. Earum vna in Perotti libro ipſius, qua Epitomen fabularum verſibus ſcriptam profitetur, non olim eſt inuenta, ſimillima reliquarum: at hanc quoque ſe feciſſe eo libro, ac tantum non chirographo, ait Perottus. Vna in trimetros qualescunque non ſatis luculenter redacta a Gudio V. C., quem etiam alias multas ad metra, quae putabat, reuocaſſe fides eſt: ſed intercidiſſe illum commentarium aiunt. Multas harum fabularum Nilantius quoque deterius, nitide Burmanus expreſſit, de quibus infra in Commentario noſtro quaedam. Meas ego non ex illorum ingeniis, verum ex oratione Antiquarum et Romuli, ea feci ratione, de qua ſupra ediſſerui. Apparebit inde, quid diverſis viſum ſit, quid licuerit in commune venientibus. Si modulatiora aliqua ex his, ſi vincta magis, aut ſententiis ampliora: bonum ſcilicet poetam oportet fuiſſe illum veterem, e quo iſta

tam

im varie petita sunt. Nam hoc subeundum est iscrimen, vt mea cum Phaedri libris comparentr, non modo cum illis recentibus Burmani tque aliorum. Potest sane accidere, vt ille incat in quibusdam, vbi alios meliores libros ecutus, aut ingenio forte vsus est rectius. Sed reliquis obtenturum me apud aequos iudices pero: aut hoc saltem fore, vt ostendisse videar nuictis argumentis, neque prorsus bonum atque tile illud fabularum libris quinque opus, neque mnino sincerum, neque totum antiquae notae, utandum esse.

Quod autem verbis adeo multis longa que raefatione tempora eorum, qui legent ista, moatus, etiam Commentarium fabellis in fine voluminis adiunxi, non eo consilio factum est, uod haec nostra egere interprete, aut omnino anti esse, digna que enarratore aliquo poemata, enseam: nedum vt ipse meorum grammaticus t interpres fiam, eorumue institutum probem, qui sua scholiis ipsi vendit[illegible]t. Sed ille primo omine commentarius, re aduersaria, in diem aratus, nihil magnopere enarrat, omitti que salva fabularum sententia potest, aut lectus in ranscursu, quo pacto facta ad vsum negotii adversaria rebus transactis solent, conscindi. Nihil inde fabulae, si quid sunt tamen, detrimenti passurae. Nam et ille commentarius, et haec longa praefatio scripta fuit, non vt commendarent illustriores que redderent vlla lege versiculos meos, verum necessitate imposita, vt innocentissimas nostras pro republica vigilias lucu-

brationes que ab obtrectatione defenderent, honeſtatem que ac ſimplicitatem candidam propoſiti operoſius, ac per partes eundo, aperirent. Liceat vero extollendo litterarum honore, augendo per fas et aequum doctrinae fine, officium feciſſe: quoniam ea conditione viuimus, vt, ſi quid vtiliter conamur in artibus praeclaris, non de fructu laudis, nedum de vllo compendio, in praeſens cogitandum ſit, ſed contentis poſteritatis iudicio, et conſcientia facti, paranda aduocatio beneficiis verboſa, ne pro crimine apud multos ingenium ſit. Quid erat enim, per ſanctimoniam artium bonarum, certe numinis diuini praemium, quid habebat periculi, aut fraudis in quenquam, de poetae cuiuſdam temporibus, de verbis illius, de Phaedro denique, quaeſiviſſe? Sed quam multos, quam iniquos, quam remoto ab humanitate animo homines, ea re offendimus? Quam honeſtum porro, cum ingeniis vel veterum, vel qui putantur veteres, certare? Attamen, quia hoc quoque nulla noſtra culpa male animatis inuidioſum, ſi adprobo fabellas meas: ſin non adprobo, vincit que bene meritum obtrectatio, quam illis ineptum videbitur vel voluiſſe certare? Factum tamen ſpe futuri periculum eſt. Voluntas certe optima. prodeſſe literis cupimus, diligentia ac fide ſumma in qualicunque opere verſati. Vide de his fabellis, quicunque legis, ne quid temere. hoc tibi praeſtandum eſt. quae mei erant muneris peregi, vt eo nomine poſſim adquieſcere ſecurus.



IOH.



IOH. FRIDER. CHRISTII

FABVL. VET. AESOPIAR.

LIBER PRIMVS

PROOEMIVM



n quo laborat omne nomen fabulae,
Vt sermo pectus hauriat salutifer,
Figura mentem tecta multiplici petit
Agitat que fraude, tenue discrimen mali,
Quod saepe fallit, apta tradere ac boni.
Nunc vtriusque noxiae, mali ac boni,
In homine fons est. Munus ergo viris bonis
Propriae feruntur fabulae, malis malae.

Ita comparamus. Pluribus malae malis,
Raris dabuntur hominibus paucae bonae:
Vterque noſcat copiae vicem ſuae.
Plerumque multi praemiis rectum putant:
Diuerſa vitant exitus mali metu,
Et vera diſcunt ſegniter, qua lex iubet:
Sed qua poetae muniunt anfractibus,
Via que veri carminum inſidias locant,
Exempla quiuis arripit celerrime.
Quibus adiuuande ſcilicet, promtus parum,
Extante vitae in beſtiis imagine,
Natura quae relinquat, aut petat, vide.

Hac fine paucis iuuit edere fabulis
Me nunc terentem ſemitas minime nouas.
Relata falſis facta vera vultibus.
Latina reddo e turbidis, qua nunc minor
Fauet Albulae meatus, ac vati venit
Muſam ſecutus lenis Egeriae liquor.
Tu geſta credes tradita Aeſopi fide,

Qui

Qui Graeca quondam, laude dignus plurima,
Dedit ampliora. Rapuit haec obliuio,
Et fortium ruina tempus inuidum.
Formas ferarum prodidit loquentium,
Chori que vulpem fecit inuenti ducem:
Vt ſub figura redderet mores ſuos,
Voces que, ſtultae ciuium ſuperbiae,
Varios que caſus, ac breuis vitae vices.
Nam fabularum diſcito natas ſtrophas,
Vt inueniret pronius verum fidem
Fallace falſi conditum ſub illice.
Vt ficta rerum mollius mentes petant,
Nudata quam ſi dicta veris aſperes.
Falſo ille creber recta lecturos monet,
Monſtrat que honeſtis additam calumniam
Ab improbis, et gloriae laqueos, viris:
Et plena fraude miſeriis que fora omnia.
Virtutis inter iſta ſed conſtantiam,
Dum res ſuperbo varia conſilia excutit,
Praebere firmum pauperi quamuis ſtatum.

Mactare veri stricta fulmina denique
Meliore vitam, blanda quam laus, exitu.

Sollers figurae regula, ac ratio boni
Specimen que moris, quae ferarum vocibus
Ingenia vatum docta reddunt optime.


Hos inter aliquis Phaedri habetur nomine,
Non ille durus: nam facetum existimo;
Sic veterem, vt edidere docti, non puto.
Quare ipsa, quae nouarat, eruo e libris,
Quibus vsus ille, cuncta per vestigia
Et verba prima, et res, et ingenium viri,
Vt salua duret litterarum veritas,
Sequor ac refingo. Magna si non protinus
Ac scitiora reddo iniquus omnia:
Antiqua certe, et optima, vt fuerant, fide
Sincera praesto. Quo, quid ille omiserit
Boni, patebit, et, quid addiderit mali,
Sua dum paratis dicta miscet fabulis,

Saepe

Saepe idem Iambi celeris haud veros modos.
Sed qualecunque reddimus, quia candide,
Nec te malignum carpere inuidia decet.
Pueros viros que frugis augemus bonae
Saltem libellis. pagina ſumes breui
Quo commeatu Sortis eludas minas,
Clypeo que recti tecta geſtes pectora.
Viues ſolutus, purus admiſſi, metu,
Inimicum in animo, quod paueſcas, nil habens.

Aequis Athenae temperatae legibus,
Seruare certae mutuas iuris vices,
Ratione potius rem tenebant, ac metu:
Animi que patrum recta ciuili modo
Ad vota facti, nunc regebant omnia,
Nunc ſe regendos deferebant ciuibus,
Quos lex praeire iuſſerat, vel mox ſequi.
Hanc aequitatem ſuſtulit potentia
Paucorum, vt omnes regna iam mallent pati.
Iam voce multa flagitabantur dii,

Vt mitterent, qui vi malos compeſceret.
Exiſtit vnus, plebis ille primum amor,
Mox magnus aeque terror optimis viris
Nec iure factus, atque iure peſſimis.
Vtrinque poenas exigit, praedas agit.
Non ille morem ſaeuus vltra regium,
Sed quatenus res omnis inſuetos grauat,
Athenienſes angit in miſerum modum.
Languent priorum cuncta laude temporum.
Aeſopus illos inter iſta creditur
Solatus hiſce, quas citabo, fabulis.



FABV-



FABVLA I

Ranae Regem petentes.



anae vagantes liberae in paludibus
Clamore regem flagitabant ab Ioue,
Qui cuncta ſub ius vnus acciperet ſuum,
Ac diſſolutis moribus legem daret.
Vulgi innocentis ſtulta riſit Iupiter
Luſit que vota . truncus exeſae arboris
Rex eſt, tigillum: quod cito accidens, graui
Motu ſono que terruit pauidum genus.
Limo ſepultae cum laterent ceterae,
Metu vna victo tacitum aquis effert caput,
Viſo que, mirum, rege, cunctas euocat.
Illae timore poſito item omnes adnatant:
Mirantur: audent tangere: is nihil mouet.
Quid iſtud ? Edas voce, ſi quid vis, rogant.
Vbi, quidquid vnda iactet, immotum vident,

Petulante lusu plebs ducem supra sedet.
Omni tigillum turba contumelia
Conculcat: vltro poenitet legis datae,
Poscunt que regem protinus Iouem nouum.
Iratus ille, quale contumax furor
Studium que vulgi segnis exemplum meret,
Pacata mutat regna, dum lento grauem
Suffecit hydrum. Dente rex acri breues
Ranas in altis facile corripiens aquis,
Vesci parata saeuus incipit dape,
Et pinguiorum rapta corpora carpere.
Fugitant inertes, voce praeclusa metu,
Nec iam malorum talium effugium vident.
Mandata furtim lata Mercurio ad Iouem:
Desistat ille. nos perimus scilicet.
Concessa quando non bona audetis pati,
Modice feretis missa pro meritis mala,
Ne peius instet porro nec sperantibus.
Haec Iupiter consultus ac diui vndecim.



FABV-

FABVLA II.

Gallus gallinaceus et margarita.

Dum gallus escam forte gallinaceus
Sibi, farra, quaerit, vnguibus limum petens,
E sterculino margaritam proruit.
Miratus addi sordibus cum stercore
Decus id, capillo virginali debitum,
Bona res, in isto quid iaces, ait, loco.
Non dignus hic te splendida: frustra nites.
Si te inueniret cupidus, auferret lubens,
Tua forma honori redderetur pristino.
Ego nactus escam scilicet, non te, peto.
Nihil repertae prodero: nil tu mihi.

Valet in superbum vatis illa fabula,
Concessa quisquis dona non intellegit.



FABVLA III.

Lupus et Agnus.

Ad riuum eundem fertur agnus et lupus:
Vt in remota parte deponant ſitim,
Diuerſa quisque ſpatia per ripam tenent.
Supra lupi vis: longe at inferior ſtetit,
Vt biberet, agnus. Huic vt hoſtis litiget
Quibus ciendae cunque rixae vocibus,
Perturbat, inquit, ille aquas puras mihi.
Reſpondet agnus, Qui queo, inferius bibens?
Decurrit abs te per meos rictus liquor.
Non cedit ille veritati. Tu mihi
Maledicis, inquit, menſibus ſex his modo.
Sed natus illo tempore, agnus, non eram.
Niſi tu, male ergo dixit ante tuus pater,
Rabidum ſceleſta fauce concitus intonat,
Siue aiat iſtud crimen ille, ſeu neget,
Fatum innocenti triſte venturus lupus.
Iras potentum noſtra tangit fabula,
Qui lite ficta ſaepe tenues opprimunt.



FABV-

FABVLA IIII

Graculus inter Pauones.

Tumens inepta graculus ſuperbia
Pennas pauonum, quae ceciderant, ſuſtulit,
Ac pectus inde texit, et pedes, ſui
Contemtor ortus, ſplendidi gregis aemulus,
Intra pauonum ſepta, qua falſus color
Adiuuit, et perſona, paene pauonem agens.
Illi inſolenti ſumta detrahunt aui
Geſtamina, vrguent, morſibus nudum petunt.
Hic veſte rapta mancus, haud propriae potens,
Euaſit aegre, ſe que reddidit ſuis.
Nec ius probauit publicum poſtliminI
Mulcatus iſto ciuibus propriis modo,
Timidus que poenae, ſponte nudatus ſua,
Domo reiectus, alteram ſubiit notam.
Tunc vnus horum, quos prius deſpexerat,
Contentus aptis ſi fuiſſes cultibus,
Natura quidquid dederat vt poſſes pati,
Ferres nec illam nempe contumeliam,
Nec in hac repulſae miſeria, dixit, fores.
Non appetes ſic, inuide, alterius bona,
Vt ne tuis te viuere iuuet amplius.




FABV-

FABVLA V

Canis exta ferens.

Viator amnem fors natatu transiens
Ferebat exta rapta dentibus canis.
Vmbras profunda dum repercussas aqua
Speculo dearum conspicit, formam sui,
Aliam que praedam ab altero ferri putat,
Eripere voluit . vnde capta auidi fames
Dimisit offam, nec tenuit vmbram leuem.
Sic saepe, quisquis alteram captas opem,
Vacuus parata, luderis specie leui.



FABV-

FABVLA VI

Societas pecudum cum Leone.

Ouis, et capella, et vacca, quodam tempore
Commune pactae cum leone in ſaltibus
Ius, atque talem foederis ſocii fidem,
Aequis vt eſſet partibus venatio.
Ingente ceruum corpore aggreſſus leo,
Deiecit, in commune proponens ferum,
Fecit que partes omnium in praeſentia:
Sed praeſtitiſſe lege tali traditur.
Ego poſco primam partibus de quattuor,
Quia iure credor nobilior ac vos, leo:
Poſco ſecundam nempe vobis fortior:
Operam ſequetur commodum, ſors tertia,
Qua plus cucurri: nemo quartam denique
Tetigerit, aut ſe norit affici malo.
  Hac voce doctus, o tenuis, magnos caue.
Nunquam fidelis cum potente ſocietas.



FABV-

FABVLA VII

Sol maritus.

E publico fur et decus, et amplam ſibi
Rem fecerat, dum lege plebem agraria
Stultam beabat. Collocauit filiam
Fur maior illi: magna gratulatio
Peruaſit vrbem de tribuni nuptiis.
Iuuentus aliquis inter haec prudentior,
Percipite ciues veſtra, dixit, gaudia.
Fit Sol maritus. orbis at conuicio
Rogatus, auctor vt veniret nuptiis,
Negat fauere Iupiter tantis malis.
Sol vnus aeſtus, en, videtis quos habet:
Natura vt omnis vnius face deficit?
Quid erit, vbi ille procreabit filios.
Non gratulandum temere rebus in nouis.



FABV-

FABVLA VIII

Lupus et Grus.

Os deuoratum faucibus ſedit lupi,
Modis que miris belluam aegram exercuit.
Tandem dolore victus, implorans aues,
Mucrone roſtri tantum vt extraherent malum,
Propoſuit ingens praeſtitae operae praemium.
Perſuaſa ſancto iureiurando lupi,
Credens que colla longa Cerbereae gulae,
Diſcrimen aditura medicam grus fert opem.
Cui, quando pactum flagitabat praemium,
Ingrata, dixit, ore quod noſtro caput
Incolume ſeruas, pretium habebis ſcilicet,
Ne poſtulare plura cures inſuper.

Qui pretia meriti ab improbis deſiderat,
Bis peccat: adiuuare primum dum malos
Inceptat, et qua deinde poſcit eos bonum,
Natura quorum rumpitur, niſi dat malum.



FABV-

FABVLA VIIII.

Lepus et Passer.

Oppressum ab aquila, fletibus que grauem suis
Leporem admonebat passer. At pernicitas
Vbi nunc tua? leues ergo cessabant pedes?
Tricare nimium, ignaue. curras, dum potes.
Hoc te subire fecit insidias auis.
Necopina frustra est passeris sapientia.
Nam que ipse cautor capitur. Accipiter rapit,
Questu que vano clamitantem interficit.
Lepus ista vidit, mortis et solatia
Nonnulla cepit inde, qua monitor leuis
Errore in illo prensus est, quem corrigit.
In damna nostra lusit importuna auis:
Simili querela fata nunc ploret sua.

Plerumque cautor additus recte alteri,
Vbi fraus in ipsum vertitur, parum cauet.
Ne te ista damnet culpa, stans etiam vide.



FABV-

FABVLA X

Lupus et Vulpes Simio iudice.

Furti dolosam vulpem auarus arguit
Sumsit que simium arbitrum raptor lupus.
Sedet ille: stantes, vera dicant, admonet.
Agit petitor, ac ream vrguet acriter,
Fori que ritu plurimum excipit rea,
Negat que factum. Velle denique simius
Proferre caussam tali ait sententia:
Tu non videre perdidisse, quod petis:
Te credo sustulisse, quod pulcre negas.
Si fraude praui vita claruit semel,
Mox, vera quanquam dicat, amisit fidem.



FABVLA XI

Ceruus ad fontem.

In fonte ceruus cornua adſpexit bibens
Magna, ac timendum vertice arduo decus,
Laudare coepit: crura tenuia temnere.
Mox hauſit auribus vigil venantium
Voces virorum; et cornuum miſtos ſono
Graui minantum ſaeua latratus canum:
Praecipite que abiit culta per et agros fuga:
Et hactenus beneficio tutus pedum
Siluas petiuit. Quas, vbi intrat, ilico
Properantem in arctis vsque ramis arborum
Morantur alta ac prodidere cornua.
Hic imminens a morſibus fatum vt videt,
Pedum ſalubrem gratus effert ſero opem,
Decus execratur capite peſtiferum ſuo.

Habet omnis illam vita noſtra fabulam:
Solemus, acti turbine erroris graui,
Humanitati qualis infirmae nocet,
Ancipitibus gaudere, vera ſpernere.



FABV-

FABVLA XII

Coruus et Vulpis.

Positum caniſtro coruus aufert caſeum,
Sedet que rapto vſurus alta in arbore.
Rem conſpicata vulpis, ac praedae appetens,
Datura que illi verba, ſic coepit loqui:
O quis tuarum, corue, pennarum vigor?
Si vocem haberes ampliorem, non foret
Te praepetum vel oſcinum vlla auium prior.
Vocem ampliorem geſtit expedire auis:
Sed ab inſolente praeda rictu decidit:
Simul hanc doloſa vulpis adſilit occupans,
Ac denique oſcen fraude captus ingemit.
Quicunque ineptus laude ducitur leui,
Sapit ille ſtulta ſero poenitentia.



FABVLA XIII

Canis calumniator.

Calumniator dixerat canis haec oui:
Tu debitum refunde libi mutui.
Debere quidquam mutui innocens ouis
Negat . profecto se dedisse ait canis.
Ad iudicem itur . ille testes exigit:
Habere testes actor hunc et hunc ait,
Ducens sodales miluum canis et lupum.
Debere liba vterque iuratus refert
Ouem . dedisse se canem praesentibus.
Sic illa falsis victa testimoniis
Accepta nunquam liba reddere cogitur.
Sed, vnde soluat iudicatum, non habens,
Vestem coacta velleris niuei vnicam
Instante brumae misera vendere sidere.
Sic vndecunque diuitum calumnia
Nudam relinquit pauperum innocentiam.



FABV-

FABVLA XIIII

Canis et Scrofa.

Instante partu nixibus rogat canis
Suem cubile. Scrofa de suo locum,
Qua parte tuto foeta deponat suos,
Concedit. illa tempus amplius rogat,
Dum firmiores viribus catuli exeant.
Etiam hoc roganti praestat. At, longa est mora,
Nec migrat illa. denique haec repetit locum.
Canicula magno irata cum stomacho refert:
Nobis molesta quid venis? Quod si mihi
Meisque pugnans esse par catulis potes,
Cedemus aliquo, cum libebit, tempore.
Nimis benignos admonebit fabula,
Ne largiantur impudenti audaciae:
Scelus aliorum nutriant damnis suis:
Neu sint, egentes ipsi, eis ludibrio.



FABVLA XV

Canes famelici.

Inuncta sueti saepe lora mandere,
Depressum in alto flumine corium vident,
Atque, vt celeriter extrahant, properant canes.
Sed rostra multum detinet fusus liquor,
Ne possit vllo mersa res tangi modo.
Igitur bibendo quidquid vrguetur super,
Remouere tentant spem retardantis aquas.
Sed ante ruptis turba pereat lactibus,
Quam rem petitam absumtus exhibeat latex.
Quisquis negatis vanus inceptis manus
Maiore viribus opere graues inserit,
Nil praestat: aliis luditur: perit sibi.



FABV-

FABVLA XVI

Leo senex et Asinus.

Defectus annis, destitutus viribus,
Leo iacebat spiritum extremum trahens.
Gesturus illi* bella dentis fulmine,
Et par recepto redditurus vulneri,
Venit aper: vrsus vnguibus fidens venit.
Depulsus aptis saepe fremitu pascuis
Hostile taurus cornibus fodit latus.
Ignauus illa facta asellus dum videt
Impune sic abire, miratus redit,
Strictis tremendum calcibus regem petens.
Leo ingemiscens denique indigne tulit.
Natura, dixit, tale nobis dedecus
Ergo parabas, vltimis vt sim iocus!
Dum salua virtus, omnium steti metu,
Et vasta fecit cuncta circum opinio.
Quibus peperci, quasue contemsi feras,
Hae nunc quoque ipsae laedere aegrum gestiunt.
Qui me tegebat cessit ex animis metus.

Haec vana monstri turbulenti oratio
Benignus vt sis, quisquis es potens, monet.



FABVLA XVII

Mustela et Homo.

Mustela murem fugere properantem capit,
Homo hanc vicissim. Capta, Parce mihi, rogat:
Per me molestis muribus caret domus.
Respondet, Id si gratia faceres mea,
Gratum putarem: redderem veniam tibi.
Nunc ipsa mures, vt cito haurias, necas,
Atque insuper quascunque reliquias domi,
Quas omnis illa turba murium mihi
Vix leuiter est rosura, totas deuoras.
Noli imputare, stulta, beneficium irritum.
Ad hos refertur sermo, qui faciunt sibi,
Vltro que nobis imputant meritum malum.



FABV-

FABVLA XVIII
Canis fidelis.

Hominis beati in tecta nocturnus parat
Fur aditum, et offam panis obiicit cani,
Quae fidi agebat liminis custodiam,
Vt pasta sese ac tacita parcat prodere.
Gratis ne panem porrigis, dixit canis,
An hoc volebas, vt minor domino meo
Et laesa donis nostra militet fides?
Haec offa vocem nempe praecidet mihi,
Pro rebus illis vt sonet submissior,
Meaque nunc tu fraude compares lucrum.
Nam panis aliter praebiti vt reddam vicem?
Sed finge, si factura: num posthac mihi
Praestabis eadem cuncta, ne moriar fame,
Quae semper ille, cuius excubias ago?
Neque te daturum, nec vel alios, censeo.
Hunc deserenti nemo credet postea,
Meruit herili qui meam cibo fidem.
Pro munere, fuge vrguere, perfidia vicem
Non redditura, nostra nolo prodere.

Fulgens repente grata liberalitas
Stultis videtur, sed peritis irrita est.



FABV-

FABVLA XVIIII
Rana et Bos.

Vix rana viſo paſcere ad lacum boue,
Liuore tantae tacta magnitudinis,
Tumuit retento viſcera intra ſpiritu.
Mox viſa profeciſſe flatibus ſuis,
Exempla natos poſcit vt modo conferant,
Dicant que matri, ſi ſit altior boue?
Illi negabant. amplius tendit cutem,
Rurſum que quaerit, Altior ne ſic quidem?
At bos, fatemur, maximis ſuperat modis.
Dum nititur differre membra valdius,
Perit effluente rupta miſere ſpiritu.
Exempla cautos iſta reddant infimos,
Ne cum potente ſumtibus certet minor.
Imitatus illos rumpitur plerumque inops.



FABV-

FABVLA XX

Canis et Crocodilus.

Vulgata habetur litteris opinio,
Qua Nilus alta labitur tumens aqua
Crocodili auari ſemper anxiis metu,
Poſſint vt acrem belluae exire impetum,
Canibus bibendum perpetim currentibus.
Ita dum cucurrit margine immodeſtius,
Coepit que dulcis admouere hauſtus aquae,
Admonita quondam fertur a monſtro canis:
Noli vereri : at otioſe, dum lubet,
Quacunque parte fluminis propior bibe:
Turbabo nullo praebitos latices dolo.
Reſpondet illa, Quod iubes, facerem, ac lubens,
Niſi te caninae crederem cupidum nimis.

Apertus hoſtis praua conſilia applicans,
Et ludit operam, et luditur damno ſuo.



FABV-

FABVLA XXI

Vulpis et Ciconia.

Coenam datura vulpis eſt ciconiae.
Vocata poſtquam, quo ſolet, venit gradu,
Diſco in patente iurà ſorbitiunculae
Inuenit, oris vnde mucro buxei
Ac tenta longe roſtra nil caperent ſibi.
Poſitum iſtud, et nil poſtea in coena breui.
Auis eſurire irata : mox pudens abit.
Vulpem Ciconia, mora parui temporis
Cum tranſiiſſet, lege non alia vocat.
Poſitum in lagona praebet, ac ſumit cibum
Prior ipſa : vulpem hortatur, vt roſtrum inſerat.
Doloſa vulpis inuicem carens cibo,
Iniuriae ipſa ſenſit ingenium ſuae.
Auis addit iſtis, Ecce, quae dabas, habe:
Aut parce, ſi indignaris, exemplo tuo.
Deriſor vſque quem libet ludos face:
Debere ſed te cuique ludibrium puta.



FABV-

FABVLA XXII

Canis et Vultur.

Tumulo vt ſepulcri mixtum humo cinerem ruunt,
Hominis que nudant oſſa, vultur et canis,
Inuentus eſt theſaurus ingens, Manibus
Non aequa laeſo iure cogitantibus.
Ex hoc ſceleſta cupiditas auri cani
Obiecta, moto vt penderet poenas ſacro.
Dum ſeruat aurum ſedulo, oblitus cibi,
Defecit inedia. Illius comes haec ait:
Inſana vota, qui iaces, merito luis,
Quia concupiſti regias animis opes,
Triuio creatus, educatus ſtercore.
Auare, te, te tangit hoc. Peris prius,
Quam poſſidendi ceſſet impius furor.



FABV-

FABVLA XXIII

Aquila et Vulpes.

Vulpina tentans antra, vulpis extulit
Catulos cubili matris, vnguibus suis
Gestura pullis aquila promissam dapem.
Suppliciter illam mater orat, vt suos
Reddat sibi: immortalem eam fore gratiam.
Contemta tandem, genere et inferior loco,
Graui dolore vincitur, facem petens
Ardentem ab ara, vt arborem flammis cremet,
In qua rapinam et prolem auis habebat suam:
Mixtura damnum hostile proprio sanguine.
Attonita donec tanto auis discrimine,
Incolume vulpi dum suum reddit genus;
Communione pestis eximit suos.
Vir diues iram pauperis lentam caue.



FABV-

FABVLA XXIIII

Columbae et Miluus.

Adhuc columbae saeua bella milui
Praecipite saepe vana reddiderant fuga,
Exilio agrorum redimere assuetae necem.
Stricto sub vngue saepe lapsae fugerant,
Salute pennae celeritati debita.
Vbi vidit armis genus inerme non capi,
Consilia raptor vertit ad fallaciam.
Sollicita semper turba cur, inquit, ducem
Creare cessas impigrum, vt vos vnice
Defendat? et vel me create, si lubet:
Iniuriae vos omnis immunes dabo.
Miserae fidem addunt dicto, et audent miluo
Se credere. Ille imperia saeuis vnguibus
Exercet, arripit que ciuium optimos,
Facturus, aliquo iure, deditas aues
Herilis aulae nempe legitimam dapem.
Hinc vna, Cladi subsumus merito nouae,
Dum sponte, ne fugiamus, accipimus malum,
Monstro sub isto tenuem agentes spiritum.

Hac lege, quisquis credit hostibus metu,
Auxilia quae putabat, exitium inuenit.



FABV-

FABVLA XXV
Ceruus et Boues.

Strepitu fugatus ceruus insidiantium,
Vt arte saeuos praecaueret impetus,
Quos vel virorum tela, rostra vel canum
Factura, tergis imminebant, ocius,
Qua proximam se villa praebuerat locis,
Trepido in bouilis tecta prosiluit pede.
Narrare caussam bubus arreptae fugae
Instituit, ac, ne se indicent, rogat miser.
At bos, Vel hic te prodis ad certam necem,
Si forte nescis. Silua seruet rectius,
Vel si patentis ante plurimos canes
Deserta campi celere carpas vngula:
Hic, hic future inemtus homini iam cibus.
Tamen ille supplex, Me breui modo tempore
Celate: noctu tutus ibo quo libet:
Pauidum que in alta corpus abdidit strue.
Stramenta, foenum, eruum, omne pabuli genus,
Bubulci in vnam forte iecerant struem.
Huic plura portant vesperi: ceruum haud vident.
Quum se recepit in bouile villicus,
Lustrauit omnia: et abit inuiso fero.

Hoc

Hoc ille gaudens bubus agere gratias,
Laudare, tutam quod darent misero fugam.
Tunc vnus, Euasisse te cupimus quidem.
Sed ille, qui rem curat vnus, qui videt
Luminibus ista centum, ne videat, vide.
Post verba dominus illa venit, et qui boum
Neglecta nuper non probaret corpora,
Culpat bubulcos, excutit praesepia.
Haec vt vacare, et pabuli contra videt
Positos aceruos, tentat iratus locum,
Sumturus ipse frondis, vt bubus ferat:
Simul intuetur celsa cerui cornua.
Miratur. Hunc nos vnde nacti? interrogat
Seruos vocatos. Quisque iurat, nil sibi
Liquere. Non quaesita gaudens inuenit,
Agit que laetos inde cum suis dies.

Hinc disce, dominum sapere rebus in suis,
Non serua certe corda, ne, quod ipse agas,
Mandare suetus talibus, male rem geras.
Vigilant sibi hi plerumque: nobis dormiunt.
Si deinde ceruum sic perisse etiam doles:
Seruatur forte quisque, non merito suo.



FABVLA XXVI.

Canis et Lupus.

Siluis amicus factus obuiam cani,
Vt paſtus omni pelle curata nites?
Corpuſculum iſtud vnde, frater? ait Lupus.
Reſpondet ille, Diuitis cuſtos domus,
Contra doloſos nocte fures excubo:
Si quis propinquet, voce fida nuncio.
Ob iſta multus adminiſtratur cibus,
Et reliquiarum quidquid in tota domo,
Seu carne ſuperet, ſiue inunctis oſſibus,
Familia fautrix omnis atque blandiens,
Dum copiam faſtidit, obiicit mihi.
Nam diligor: nec deſit vllo tempore
Lentum bibenti aqua bona: ſub tectis cubo,
Atque otioſus vnice vita fruor.
Contingat o ſi talis otii mihi
Vſura, frater, praebita vt ſatier dape,
Ac tutus intra tecta viuam, ait lupus.
Canis, At licebat, inquit, et mecum veni
Audacter, in meum cubile: ne time.
Vna ambulabant. In via collum canis

Socius

Socius notauit a catena tritius.
Interrogabat, Istud in collo, quid est?
Nihil id quidem est, reponit alter. acrior
Quoniam videbar, alligant interdiu:
Vagor solutus nocte, quantum animo libet.
Ad quae, Valebis, ille, et vteris tuis
Dapibus reuinctus. at mihi est nil his opus:
Ego malo liber quidquid acciderit pati:
Errare campis. Non catena, nec metu
Vetabor, vt ne mille per siluas viis
Coenatus ouibus auferar, ludam canes.
Tu suetus isto more: sed viuam meo.
Non regna quaeuis merear, vt ne sim meus.
 Miser profecto, sit, licet, ditissimus,
Qui liberum esse velle, quantum sit bonum,
Et posse se expedire, non intellegit.



FABVLA XXVII

Scrutarius et Asellus.

Vt scruta vendat, properat institor in via
Onusto asello sarcinis, ad nundinas:
Neu sine lucello septa calfaciat fori,
Fuste ac flagellis caedit ignauum male.
Hic morte saltem optauerat finem mali.
Quassatus inuenire dudum: denique,
Cessante nunquam fuste, plagis occidit.
Sed nec malorum terminus vitae modus:
Necatum iniqua consequuntur verbera,
Fati que dura imperia post funus grauant.
Nam cribra fiunt, ac sonora tympana,
Et quidquid incessante quassum verbere
In manibus vllo sine modo ac pausa ingemit,
De pelle miseri, cuius aeger spiritus
Plagis recessit: vapulare vita erat.
Vox ista fati dicta mortali viro:
Pugnare noli legibus sortis tuae,
Ne, quo volentes duco, nolentem traham.



FABV-

FABVLA XXVIII

Vipera et Lima.

In officinam lapſa cuiuſdam fabri,
Dum quaerit eſcam, qua iuuetur, vipera,
Coepit iacentem forte limam rodere.
Arridet illa, et, Quid tibi improba vis, ait,
Meos ne dentes laedere, an minui tuos?
Nam ſueta ferrum rodere: aut, ſi quid magis
Durum, aſperumue, lene reddo, dum frico.
Vix anguloſa terga paullum torſero,
Statim patebit, vtra mordeat magis.
Ex ore dentes, vulnerare quibus meum
Fruſtra laboras horridum ſtilis latus,
Nullo labore, ſtulta, decutiam tibi.

Malus malum ſi fraudibus petit virum:
Iniquo iniquus, durus inſtat ferreo:
Non vincit: atteruntur ambo: beant bonos.



FABVLA XXVIIII

Mufca et Formica.

Formica patiens operis, et mufca irrita
Penfi mouendi vllius omnes in dies,
Certare verbis, vtra nobilior genus,
Coepere. Mufca eft orfa dicere hoc modo:
Potes meis te comparare laudibus?
Degufto prima, vbi immolant, libamina:
Ebur curule rex: ego regem premo:
Matrona quaeuis noftra fentit ofcula:
Re qualibet, fi libeat, ad fummam fruor,
Contingit inde rufticae nihil tibi.
Formica contra, Nempe laudes, peffima,
Quas ipfa memoras, indicant mores tuos:
Vt inuocata accedis, et grauis omnibus.
Optata tu non ora regis attigas,
Matrona nec te rofcidis circumferat
Turpem labellis: ni fine venià ac modo
Facias. At vnicuique es inuifa: vndique
Te flabra pellunt, publicam moleftiam.

Aeftate

Aeſtate ſola ſi vales, hieme occidis.
At me laboris prouidam tenet modus
In opere duro. frigus autem qua ſubit,
Vtor paratis, laeta viuere de meo.
Vices laborum dia mutant otia.

Sapis, inſtituti parce laudator tui:
Facile obloquatur, rectiora qui ſciat.



FABVLA XXX

Caluus et Musca.

In capite calui musca iam diu grauis
Nudam capillo morsibus tundit cutem.
Non parcit ille, perdere incautam volens,
Alapa frequenti plectere immeritum caput.
Inflicta ridet verbera ales improbus.
Me propter in te, insane, saeui qua libet,
Ait, et reflexa vertici insultat fuga.
At caluus, Offers te, inquit, exitio, mala:
Nam facile mecum, si tetigero, in gratiam,
Decies vel ictus, redeo: sed si te semel
Contingo, nulla es, ac peristi funditus.
Audacis ista fabula arguit viri
Grauem immerenti saepius petulantiam:
Euertit ipsum, quidquid alteri nocet.






IOH. FRIDER. CHRISTII

FABVL. VET. AESOPIAR.

LIBER SECVNDVS

FABVLA I.

Canis senex et Dominus.



fficia semper grata praestiterat suo
Domino canis venator. hunc anni grauant
Aetate tardum: dentibus nullus vigor:
Nec naribus vis, quae sagax iuueni fuit.
Leporem secuto morsibus luctans lepus
Illaesus exit irritis, ludens canem
Longa per arua defatigatum fuga.
Iratus obiurgabat herus: at hero canis,

Aetate vires deferunt . animus mihi,
Qui fuerat, idem . dentibus negor . fui.
Sed quia recentis vſe quondam viribus,
Quod eram probabas: alterum, vt poſſis pati
Quod ſum, vel haud ſum, poſco. denique, ſis memor
Vitae prioris, integra mihi gratia.

Ne iuniores fortium aetatem grauem
Spernant virorum, fabuloſe mones canis.
Benefecit olim . nunc pati, quia deficit;
Aduerſa, durum eſt. Tu quidem parces, tua
Si quis probatus vſque ſenuit in domo.



FABV-

FABVLA II

Leo et Mus.

Mures, leone dormiente in ſaltibus,
Luſu ac licenter qualibet dum curſitant,
Vnus quietae colla tranſiliit ferae,
Non ſponte. at vncis ſentientis vnguibus
Obhaeſit. Ergo ſupplici veniam prece
Rogat, et venire non putantem, nec dolo,
Impune reliquis hoc idem ludentibus.
Nec deprecari, tale ſi quid poſtea.
Leo cogitabat iſta apud animum, Quid eſt?
Si tam puſilli elido vilem ſpiritum,
Crimen futurum, nulla facti gloria.
Dimiſit igitur. Altero idem mox die
Foueae doloſae pronus in laqueos cadit:
Magna que captus voce mugitum edidit.
Ad vocem amici mus cucurrit ſedulo,
Videns que factum, Nunc timere mitte, ait,
Nam redditurus venio beneficii vicem,

Quod

Quod praeſtitiſti . nec mora, furialium
Ingenia coepit artium, ac nodi caput,
Arrodere . exit vinculis liber leo,
Ingente parui redditus ſiluis ope.
Nemo innocentis tenuitatem ſpreuerit:
Nam paruus, etſi ſit ſibi plerumque inops,
Magno ſubinde maximis viuit bono.



FABV-

FABVLA III

Homo et Arbores.

Facta securi fossor arbores rogat,
Sibi de sua vi ligna, quae firmissima,
Concedere haud grauentur ad manubrium.
Oleaster hanc praebere iussus copiam,
Illis dolandos vsibus ramos dedit.
Homo impetratum ferreae manubrium
Aptat bipenni, nec moratus, robora
Ingentia omnium vsque caedit arborum.
Permota damnis quercus infit fraxino,
Exempla iure tanta perpetimur quidem.
Armauit hostem nostra contra nos manus.
Quid praestiturus pessimis, etiam vide.



FABVLA IIII

Mus et Rana.

Aquae fluenta breuia tutius natans
Vt transeat, mus paruus auxilium rogat
Ranae procacis. Illa vectoris sui
Vlua reperta crure deligans suo
Post se alterum tractura, suspendit pedem.
Emensa sic, et ille, fluminis vadum
Prope medium scelesta, mutata fide,
Abit in profundum. soricis miserum trahens
Per horrida loca spiritum, leto dedit.
Consulta saeue certa Nemesis opprimit.
Nam dum dolosa, caelum vt adspiciat, redit,
Muris peremti funus innatans aquis
Propter volantis praeda lucet milui.
Is, mure rapto, nexibus ranam trahit
Vluae tenacis, qua ligauerat pedem.
Sic ipsa tristes, arte quos fecit mala,
Ad aequa Fatis arbitria vocantibus,
Comiti peremto iussa pendere exitus.
Hac saepe lege fraudis inuentor perit.



FABV-

FABVLA V.

Galli gallinacei duo et Accipiter.

Cum fratre gallo nempe gallinaceo
Certare gallum ſemper, ac vinci, piget.
Vlciſci at acrem tendit aduerſarium,
Flagrantis irae vindicem accipitrem rogans,
Staturus ab ſe vt alterum male iudicet.
Cauſſam lucelli ſuſcipit ſpe, quod ſolet:
Hoc aeſtimat, non iure, captus arbiter:
Rapturus vndecunque litis praemia.
In ius venitur. Praetor actorem arripit.
At litigator, Fallere, o bone: ſum tuus.
Illum ocius vero alterum rape, qui fugit.
Tu ſis, an ille, nil, ait, refert mea.
Vtere iure, quod ſtatuis in alterum.
Sic ſaepe, laqueos ciuibus quisquis ſtruit,
Incautus arte capitur et m[illegible]o ſuo.



FABV-

FABVLA VI

Cochlea et Speculum.

Dum se per herbam promouet lento gradu,
Speculi in metalla tarda cochlea incidit,
Quod forte, mundum dum suum gerit in via,
Spreuit relictum pulcra ruri femina.
Splendore viso, leue quem argentum dabat,
Amare coepit lucis haec miracula.
Orbe igitur omni luridum trahens latus,
Amata delet inquinando amplexibus
Quaecunque vidit. Omnis ilico improbae
Sorde ac saliuis vultus argento perit.
Haec iure sentit ille, dixit simia,
Calcare si quem talis hunc talem potest.
Stulti paranda virgo nuptiis viri,
Aut vir proteruam id praecaue ducture anum.



FABV-

FABVLA VII

Grus et Cornix.

Grus atque cornix iunxerant ſociam fidem,
Ab hac vt illa pelleret quascunque aues:
Cornix viciſſim, ne pericla clanculum
A verſipellis conſilio hominis ac dolo
Illi venirent, abditum praediceret
Sortis futurae. Vberrimum delegerant
Circumuolantes omnibus locis agrum,
Vt inde natas vellerent radicitus
Herbas, et omne ſemen excuſſum in via,
Superante paſtum copia, relinquerent.
Cui cura dudum credita eius eſt agri,
Quid agatur iſtic villicus videt, ac dolet,
Dicitque, Lapidem da, puer, ſubito mihi.
Praeſentit illa, quid futurum, tempori:
Cornice iactum praemonente grus cauet.
Hac lege tale villicus quoque poſtea
Telum parabat: admonet cornix gruem.
Intellegit poſtremo, ait que, Monet gruem
Diuina cornix ſcilicet futuri auis.
Mutetur ergo fraudis ingenium meae.

Quum dico, Crusti porrigas offam, puer,
Puerum admonebat clanculum, lapidem dabis.
Sic instituta fraude percussit gruem.
Haec vulnerata, At nunc vbi auspicii tui
Promissa, cornix, inquit, hoc nisi praeuides?
Respondet illa, Haud irrita ars, at maior est
Aliud ferentis ore, aliud animo, dolus,
Duplexque magnis caussa consilium malis.
Promitte, et idem redde, quod tua in manu.
Sed, si quis amplis fecerit verbis fidem,
Tu spe supina prosequi dictum caue.



FABV-

FABVLA VIII

Hirundo et Aues reliquae.

Arare terram, lina conſerere incipit
Homo: et haec videbat multa auis ſaepiſſime:
Sed nulla, quorſum coepta pertineant, videt.
Ad ſe quid attinere? nauci non putant.
Sentit futurum fida ruris incola
Ad iſtud vſque tempus, et ſola adſpicit,
Capitale hirundo ſola praecauet malum:
Dicit que cunctis alitum conuentibus,
En lina. quorum quando creuerit ſeges,
Genus in volantum nulla peſtis acrior.
In membra noſtra non videnda vincula
Nec ſentienti compedes duras habet.
Quare eruamus omnibus ſemen modis,
Prius atque radix lenta glebas prenderit.
Ceſſatis? at vis nulla franget poſtea.
Ridetur. Illae, Timida inepte, quid putas?
Hoc tenue ſemen ſcilicet culmen feret,
Quercus quod altas atque vincat populos?
Ab aetheris nos ſedibus quod detrahat?

Nec erit volatus vlterior, et montibus,
Vt nunc, relictis ad Iouis tendens domum?
Ita cauta hirundo, quod negatur, ne fuis
Derifa praeftet omnibus, praeftat fibi.
Neu lina pedibus metuat infidias fuis,
Fidelis hofpes hominis in fidem venit,
Sibi pacta amica tegulis nidum in domo.
Aliae dolofis femper haerent retibus.

Monitum falubre quifquis audit prouidus,
Cum fors iniqua cecidit, adfpicit et cauet.



FABV-

FABVLA VIIII

Perdix et Vulpes.

Guttata perdix, altiore ſedens loco,
His luſa, ſubrepente vulpe, vocibus:
Quae forma membris, quam decens facies tibi!
Quam crura cerea! os que curalium velut!
Dormire ſi liberet, eſſes pulcrior.
Factura dictis, ne parum placeat, fidem,
Dormitat illa: vulpis ilico arripit.
Vigilauit illa mortis in diſcrimine,
Permixta verba fletu et iſta prodidit:
Per te tuarum quaeſo virtutem artium,
Meum ante nomen ede, dein me deuora.
Facunda vulpis editura, quam vocet,
Diducit ora rictu, at ales euolat.
Sic luſa fraude ſimili et artibus ſuis,
Quid erat, quid, inquit, nunc opus captae loqui?
Quid ora pacto diſſuenda vllo mihi?
Quid immo noſtra rettulit, perdix ait,
Dormire, quando iuſſeras vigilem vigil.
Inſulſa certe ſermo tangit pectora,
Quibus lubido, quando non opus, loqui:
Dormire, quando maxime vigilare opus.
Plerique inepte laudibus patimur capi.



FABV-

FABVLA X
Asellus et Bos.

Ibant sub vno asellus atque bos iugo,
Ruri trahentes plaustri iniqua pondera.
Cessabat ille. Bos rogabat, Adderet
Gradum. leuato pariter instemus iugo.
Consortis vllo viribus leuamine
Succurrere hic negabat. Aegris cornibus
Multum grauatus, ac iugo immiti, vltimum
Taurus laborans denique oppetit diem.
Dum spectat istud, nec viam pro re inuenit,
Non aliud vllum remedium solis locis,
Asinum bubulcus carnibus onerat bouis.
Sic ruptus inter verbera ille item cadit,
Pressus que pondere media exspirat via.
Volucres rapaces additae praedae monent,
Dares precanti mitiorem te boui,
Nec nos cadauer ante tempus pasceres.



FABV-

FABVLA XI

Leo et Paſtor.

Siluis oberrans, multa venatus, leo
Humi iacentem forte calcat ſurculum.
Praeacutus alte ſtipes in laeſum pedem
Penetrat, ſedet que . vulnus intus colligit
Saniem . dolore manca claudicat fera,
Quaerit que medicos. Omnibus late fugam
Suadet rogando. Nemo belluae fidem
Habere, nemo ferre ſuſtinet huic opem.
Tandem in reducto, qua nec effugium, loco
Paſtore viſo, blandius fremens adit,
Cauda que ſigna certa ſupplicis dedit.
Timere noli, dicit, auxilium rogo.
Non eſca petitur, cura ſed medicae manus.
Simul reponit vulnere tumentem pedem
Gremio ſtupentis. iſta pacatus viri.

Animo recepto paſtor hunc intellegit
Magni doloris remedium depoſcere.
Incidit vlcus leniter nouacula,
Docta que apertum vulnus exprimit manu.
Pus atque morbi ſpina cauſſa effunditur,

Leo que acerbo se statim sentit malo
Totum leuari. Callidas viri manus
Velut osculatus mulcet ac lingua fouet,
Et gratus aliquo tempore medico assidet:
Mox, nil vetante vulnere, in siluas redit.
Post captus idem traditur caueae miser,
Et pastor incusatus, haud meritum scelus
Falsi piare criminis iussus nece,
In proximis ad bestias ludis datur.
Emissae arena temere discurrunt ferae,
Et praeter alia monstra seruatus leo
Facit impetum in pastorem. at agnitum statim
Defendit, atque voce, rictu, plausibus
Caudae, pedum que, more adulantis canis,
Beneficio testatus integram fidem,
Circum tuetur, ne qua forte tetrior
Infrendeat fera medico pridem suo.
Illum veretur blandus, illius cubans
Pacata rursus arma manibus inserit.
Haec, et vicissim blanda bestiarium
Audere notae colla complecti ferae,
Iam populus omnis vndique elatis videt
Laudat que manibus. Caussa quae mirae rei,
Quae

Quae tanta, quaerit, belluae ac pietas viro.
Miratur eadem, et cuncta discit editor.
Tam pulcra, tam non ante visa in munere,
Laetatur: et, quod ciuibus vertat bene,
Nouitate facti motus et miraculo,
Parci imperauit iure mansuetae ferae,
Redire medicum illius incolumem ad suos.

Noli vereri, gratus ingratos tibi
Recte merendo quando saepius facis,
Ne pereat omnis rebus hominum gratia.
Merebor. Etsi rarius remeat viam:
At pulcrius nil gratia, si qua redit.



FABVLA XII

Culex et Taurus.

A culice taurus prouocatur viribus:
Certamen ingens populus vt ſpectet, venit.
Culex rotundus delitens tauri toris,
Satis, inquit, habeo quod venis; hoc factus es
Mihi par, breuis que et ipſe iudicio tuo.
Hic ſe per auram ſuſtulit penna leui,
Luſit que populum, omnes que deſtituit minas
Riualis arduum vſque iactantis caput.
Sed, ni fuiſſet molis immemor ſuae,
Ceruicis altae, et frontis armatae, et pedum,
Non gloriae tam ſtulta materies leui,
Culicis pudendi verba bos contemneret.

Detrahere famae quisquis ipſe vult ſuae,
Certare laeſus tentet indignis viris.



FABV-

FABVLA XIII

Equus et Asinus.

Horrens polito ac diuiti phaleris equo
Asellus arctis obuiam fit semitis,
Ac transeunti tardius dedit viam,
Malo frequenti lentus atque sarcinis.
Breuem grauatus ille cedentis moram,
Contineo vix me, calcibus quin te obteram,
Et hic lutosis proruam foueis, ait.
Reticuit asinus, multa testatus deos,
Non voce, verum debili gemitu tamen.
Mox ille cursu ruptus in parua mora
Detrusus est in villam, agrestibus viris
Mercede parua redditurus hordei
Pretium parandi tergo. Onustum stercore
Vt vidit asinus, talibus risit modis:
Quid, gloriose, profuit quondam tibi
Phaleris poliri? Tanta iactabas, miser,
Rediture ad ista rerum? vt hac superbia

Mise-

Miſerior eſſes, quanto eras conſpectior.
Fortuna ſi qua blandius fauet, caue,
Ne te, futura quae dies vehat inſcium,
Superbia agitet fratris incumbens malis:
Neu ſponte triſtes ad vices iniuriae
Miſeri iacentis adde contumeliam.



FABV-

FABVLA XIIII

Volucres et Quadrupedes et Vespertilio.

Pugnabat omni cuncta quadrupes aui
Ancipite rerum sorte et armorum statu,
Vt victa saepe vicibus incertis, prior
Acies futura superior que, vinceret.
Mynieis anceps, exitus rerum timens,
Alata quod erat, et quoque ipsa quadrupes,
Incerta, quid sequatur, et neutri fauens,
Vt superior pars forte, ad hanc se contulit.
Quadrupede primo mota multitudine,
Aciem secuta est. deinde, cum Mars adfuit
Auxilia ducens aliti Iouis: ilico
Auium adiuuare visa victricem manum.
In pacem vtraeque cum redissent pristinam,
Vtraeque castris noscerent socios suos,
Mynieida ales omnis, omnis quadrupes
Dubiam vocaret, atque crederet suam,
Generi huic et illi fraus pudenda apparuit.

Damna-

Damnata porro non ferendi criminis,
Spoliata plumis, coetibus pulſa omnium,
Exoſa lucem, noctis atrae velum amat.
Qui fluctuando partibus ſe venditat
Duabus, ambas denique infeſtas habet.
Tum ſi quid egit ſponte, nulla eſt gratia.
In rebus illis ſcilicet conſultius
Hoſtem fateri, quam non vinci eis modis.



FABVLA XV

Oues et Lupi.

Ouis lupus que quando inibant praelium,
Ouis, fideli tuta praesidio canum,
Non victa. Falsa pace legatos lupi
Mittunt petitum rebus aequis obsides,
Dedi que belli caussam inutiles canes,
Pugnam cientes efferis latratibus.
Rem conuenire posse firmo foedere
Incauta fraudi corda, lanigerum pecus,
Dum credit hosti, praesidia tradit canum.
Post, pace parui temporis mora irrita,
Vitae priori redditus raptor lupus,
Nudata defensore corpora arripit.
Carpuntur illae: fera consilia improbant:
Miserantur omnes: nemo captis subuenit.
Quisquis secundis rebus auxilia abiicit,
Frustra requirit, sorte post mutata, opem.



FABVLA XVI

Lupus et Paſtor.

Canibus citatus Martius ſiluis lupus,
Inſtante venatore, per campos fugam
Tenet, in que noti forte paſtoris fidem
Venit occulendus arte. Non gregis tui
Agnam vorabo, aut vlla quondam corpora,
Ni me indicaſſis. per ego te oro ſpes tuas.
Securus, inquit, eſto, paſtor, et locum,
Vbi fallat hominem, oſtendit. Aduenit cito
Venator, et, Noſti ne, quo abierit lupus?
Ait ille, Vidi. ſed ſiniſtra longe abeſt.
Simul oculis, quo ſe abdidiſſet, innuit.
Homo innuentis fraude nec viſa, ilico
Pergit ſagaces incitare alio canes.
Tunc paſtor, extricante ſe latebris lupo,
Feliciter celaui, ait: quae gratia eſt?
Eſt magna linguae: ſed oculis fallacibus
Iam caecitatem maximam datam volo,
Reſpondet, ac poſt verba ſe ſilua abdidit.
  Nec blanda verba in ore, pectus perfidum
Credes gerenti: nec ſceleſti gratiam
Sperabis vllam, ſi qua merueris, fore.



FABV-

FABVLA XVII

Leo et Simia.

Quum iura quondam et fas vererentur ferae:
Bonum esse, ab vno posse, credebant, regi.
Iouem precatae, regis igitur vt daret
Arbitria summa, et improbis certos metus,.
Ille, inquiebant, rem caducam legibus
Firmabit, ille comprimet licentiam,
Coget rapinis abstinere mutuis,
Et recta tradet. Annuens votis deus
Permittit, Ipsae, quem velint, regem eligant.
Visus potenter iura suasurus graui
Leo pauore, vita quo sit tutior,
Creant leonem, hac lege, ne quondam cita
Rabie feratur, ponat illos spiritus:
Tum, ne cruentas ciuium appetat dapes,
Promittit ille nempe. Sed spatio breui
Taedebat arcti prandii, ac fidei datae.
Ad sueta fraude pabula adfectat viam,
Victurus aliquo semper haustu sanguinis.
Vocat ille quasdam, vt more consilii, feras
Secreto, et vnamquamque sic interrogat;

Os tenue longam propter abſtinentiam
Putet ne? Sed quid? eia, dic mihi, anne olet?
Ieiuna, ſi qua ait, ora putent ſcilicet,
Fera, lancinata eſt. Tu ne opinantis male
De rege ſis exemplum? At eſt, quae, Recte: olent
Nihil illa tetri, dicat: actum eſt. ilicet
Laceratur. At tu mentiare hero tuo!
Par cauſſa: poena dummodo illum nutriat.
Abſumſit iſtas. Simiam nouiſſime
Vocat, et requirit eadem. At illa cautior,
Vel cinnamomo ſuauius, dixit, mihi
Olet, ac deorum quale ſancta altaria.
Hic fraude tali tactus, erubuit tamen,
Sic mentientis caede pollui palam.
Inuenit artem. fingit aegritudinem.
Viſum profectis beſtiis, medici ruunt,
Venam que tentant. paret, inſolito cibo
Affecta regis poſſe refici viſcera.
Propemodum et ipſe quid ſit opus, ait, ſcio:
Sed non puto eſſe fas: nec auſim poſcere.
Tibi, inquiunt, fas quod lubet. ius regium
Commune. cuncta audacter, vt vis, poſcito.
Sanabit, inquit, me comeſta ſimia.

Haec

Haec ducitur . repente conualuit leo.
Natura lege non bene exuitur fera.
Quare in fideli tutior ſilentio
Procul potente vita pauperi viro eſt.
Hunc ſi ferocem blanda conſuetudine
Sibi ſeruientis lingua reddidit viri,
Tu, ſeu loquare vera, laedere, ſeu tacens
Et cautus, incuſeris idem prodere.
Sed, qui veretur vindicem deum, tenet
Praeſcripta legum, talis imperium ducis
Si cui ſecunda ſorte contigit, bene eſt.



FABVLA XVIII

Homo et Leo.

Homo leoni certat, vter audacior:
Natura ſit ne fortior hominis, an ferae?
Quaerens que verbis teſtium certam fidem,
Monumenta monſtrat, in quibus ſculptus leo
Eliſus affectantis amplexu viri.
Mirata doctae ſpecimen artis bellua,
Nempe iſtud, inquit, hominis eſt fallax opus:
Leo ſi dolaret ſigna, vinceret leo.
Specie relicta, rerum adi mecum fidem,
Vbi facta monſtrat non color, ſed veritas.
Arena circi teſtium praebet vicem,
Vbi per leones occidunt multi viri.
Animum coloris quid mouent mendacia?
Quid verba? rebus crede. Qua praeſtes fidem,
Praecedat acti luce certa veritas.



FABV-

FABVLA XVIIII

Ouis et Cornix.

Delapſa cornix tergori manſuetae ouis
Grauis imminebat, vnguibus ſaeuis petens,
Multum que tundens ore colla corneo.
Dum perſeuerat prona, nec modum facit,
Acri dolore denique illa victa ait:
O ſi moloſſum ſic laceſſeres, mala!
Nec ſuſtinere illius irati queas
Vocem tremendam, quando leuiter increpet:
Certare nedum vt audeas morſu tuo,
Ignaua forti: inermi et immeritae grauis.
Cornix, Tace, inquit: perfer olim debita,
Quae ſors iniqua poſcit omne ouium pecus.
Ego, colla quorum morſibus petam, ſcio,
Certo que forti ſaepe et ignauo, vt libet.
Antiqua ab annis, improba innocentibus,
At aſperis amica: malefica ſi putor,
Animata tali lege ſum, iubentibus,
Vt cuncta, diuis: facta non tuo modo.
Natura cuique, cenſeo, recta eſt ſua.
Non corrigendos peſſimos verbis, putes.



FABV-

FABVLA XX

Formica et Cicada.

Formica brumae de cauerna tempore
Aeſtate lecta farra promit, et ſecat
Dente impigro. Sed flebile ad latus adſtitit
Orans cicada, copiae partem daret.
Formica ad illam, Aeſtate quod feciſti opus,
Ne ipſi liceret comparare tibi cibos.
Tum non vacabat, inquit: errabam leuis
Segetes per omnes carmen ingratis canens.
Formica ridet, ac recondens farra, ait,
Quia tum canebas, iam, decet, ſalta ad modos:
Nam non futura pinguior tu de meo.
Amare munus vtile operae diſcito.
Operis honeſti ſtudium, et ipſe labor, iuuant.
Habet arte vita noſtra dulcius nihil,
Aut otioſi inerte durius otio.
Hoc in tua re ſequere. ſic viues bene,
Regnare viſus, dum quidem es nulli grauis.



FABV-

FABVLA XXI

Equus et Asinus.

Equum rogabat asinus hordei parum.
At hic, Libenter, inquit, istud, si queam,
Pro dignitate, largiar, et hoc amplius.
Simul erit ad praesepe ventum vesperi,
Non ista, plenum farre folliculum dabo.
At asellus, Haec tam parua qui negas modo,
Post illa cur te magna facturum putem?

Praestato parua, qua necessitas, viro
Tacente, poscit, ne data spe differas.
Neu fac superbum pollicendo maxima,
Qui voce largus insolente, re tenax.



FABVLA XXII

Leo senex et Vulpes.

Defectus annis traditur morbum leo
Finxisse. Visunt accubantem bestiae:
Quas ille edebat clanculum hac fallacia.
Post illa vulpes, sed, nec ausa intra specum
Venire, regem sic salutat eminus.
Ait ille, Quin prope adueni, vulpecula,
Intro, in domum. Verum, inquit, haud licet mihi,
Quid fiat expiscata vulpis, et cauens.
Venientium quae plurima hic vestigia,
Abeuntis autem nulla, quid faciam, docent.
Damnis priorum nostra se munit salus.
Domus potentis mille saepe aditus habet:
Quam si lubente semel es ingressus gradu,
Tardum est, vt vllos inde tentes exitus.



FABVLA XXIII.

Culex et Camelus.

Dorſo cameli ſarcinas ſupra culex
Moratus, vt ſe forte demiſit locis,
Deſcendo vector nunc ob hoc, ait, ocius,
Ne trita pondus onere terga meum grauet.
Camelus, Eſt gratum, inquit: at pondus tuum
Sentire nulla lege compoſitum queam,
Neque me, benignus vt quidem leuas, leues.
Iocus eſto, qui te comparas magnis minor.



FABVLA XXIIII

Hoedus et Lupus.

Capella partum feta folicita ob fuum,
Sciens que, pecorum vt ftabula circumdent lupi,
Ne forte aperiat oftium, natum admonet.
Sic, rebus illi traditis, exit foras.
Cum voce matris aduenit fimulans lupus,
Et blandus, intro vt hoedus admittat, petit.
Percepit, et, Matris prope audio meae
Vocem, inquit, intus. at videre tu tamen
Fallax, et illa voce noftrum fanguinem,
Non mater, acer generis hoftis, pofcere.

Praecepta matris recta, vel patris, puer
Qui feruat, effe faluus; indomitus nequit.




EIVSD.

EIVSD. CHRISTII

AD

SVPERIORES FABVLAS

COMMENTARIVS



LIBRO PRIMO

AD

PROOEMIVM



Hoc prooemium non est totum meum, vt neque fabulae totae. Communia aliquo pacto ingeniis veterum, vnde epitomae factae sunt, mihi que, tracto. Sed fuerant ista maxime principia misere habita, ac luxata distracta que ab eo, qui fabulas misisse Graecas in compendium sermone Latino fertur Romuli sub nomine. Qui Romulus, si Momyllus Augustulus est, qui postremus imperium occidentis tenuisse Romae traditur, praescribitur autem *Imperator vrbis Romae* in epistola *ad Tiberinum filium*, quam cum ea fabularum epitome Nilantius publicauit, quanquam esset Gotthus genere, Orestis filius, tamen magis est mirum, ab eo educato in Italia sic omnem Latini sermonis

monis et ingenii honorem, quam imperium desciuisse. Nam non est verisimile, de Graecis fabellis factam hanc epitomen, quod profitetur, fuisse. Verum e Latino potius poeta, aut e diuersorum operibus, corruptum istud, resecando contaminando que multa, quidquid est, videtur. Nisi poetae ipsi, e quo ista petita sunt, nomen Romulo fuit, siue imperatori, siue cuicunque, quem nescimus hodie: vnde et nomen, et epistolae corruptae lacinia, et fabulae inficetiis suis inter proba quaedam et numerosa modulata que maculosae, ad illam orationis solutae humilitatem descenderint. Nam superest quaedam tenuis in litteris memoria poetae Romuli. Reliqua hic, super veris fabularum veterum scriptoribus Latinis, incerta sunt ac tenebricosa omnia. Non Phaedrum vero esse, ex quo illi ista, argumentis praesentibus cum a me est euictum alio tempore, tum toto hoc ostenditur commentario. Quicunque igitur, quocunque tempore fuit, cuius Romuli nomine fabulas Nilantius edidit, diuulsas prooemii, vt mihi quidem videtur, partes posuit. Alteram, velut epistolae vicem, in principio ante fabulam primam: alteram partem temere ante duodeuigesimam fabulam. Ex his prooemii partibus quaedam dicta sunt transscripta in prooemium et principia fabularum eius, qui pro Phaedro fertur. alia quaedam haud mala, quae non desunt Romulo, inde non sunt petita: sed relicta a Phaedro. Etiam hoc, quod diuulsa erant

erant in Romuli fabularum epitome prooemia, videtur in fraudem erroremque induxisse Perottum, vel quisquis est, qui illas Aesopias fecit, vt duplici eas exordio praecinctas temere, quod equidem reor, sisteret, primam atque secundam libri primi, quae de ranis est, fabulam, Romuli, vt dixi, duodeuigesima. Cui si aliquod principium conuenit, nulla tamen ratio aut argumenti affinitas, quae ne in tali quidem opere omnino neglegenda est, iungit. Hanc nos propterea de ranis fabulam primam posuimus ratione et indicio vestigiorum operis, quae in Romuli prooemiis extant. Restituimus autem libro omni, his principiis constitutis, suam, vt credibile est, faciem, coniungendo ea, quae erant diuisa. Quorum apparebant nonnullae, quamvis tenues, in corruptis reliquiae, ea expressimus pleraque: quaedam ad illa adiunximus pro iure nostro, non seruientes, sed honesta ingenii cum libertate intenti paratis: aliqua item eorum neglecta in medio reliquimus, tamenetsi sponte videbantur ad suos, quibus olim scripta essent, numeros reditura. Longum enim fuisset atque anceps negotium, haec quoque restituentem comminisci subinde, atque venari per coniecturam, quae, cum his olim cohaerentia, intercidisse multa oportet. Vt, ecce, hos vt cunque trimetros prooemii, aut eorum membra, sic sita in oratione semibarbara Romuli, vtmodo integra atque incontaminata, modo vno vel duobus vocabulis translocatis, facile exeant:

homi-

- - hominum que vitam ostenderet.
Personas bestiarum inducit omnium.
Vt fabularum cur sit inuentum genus.
Si me sagaci mente lectitaueris.
Recto refertur illa ad hominem tramite.

Sed videntur in opere poetae veteris etiam trochaici quadrati his admisti fuisse, aut potius totum prooemium constitisse non illo genere, verum trochaico. Hi enim fere inde nullo negotio coguntur versus, vt dixi, quadrati:

Bonam ego fabulam viro bono, et malam malo putem
Comparari. Nemo liber vsque fecerit bonum,
Hoc nisi spe laudis audet: et quis abstineat malo,
Continet ni se timore vindictae atque opprobrii.
Propter hoc ego congregaui iure quasdam fabulas.

Duo vel tria vocabula interposui: reliqua de locis, quae temere occupauerant, ad numeros redire iussi: aliqua eorum sponte sua ad signa concurrebant, aut seruabant ordines. dein, post paullo, haec quoque: *Inno-*

Innocentium que gestis. inde exempla ceperit
Viuit ille enim secure, qui quod timeat non habet.

Nisi aliquis mauelit, trimetros potius Iambicos qualescunque, atque eos abnormes, ex eisdem Romuli verbis cogere istos:

Quapropter ego coegi quasdam fabulas.
Secure viuit, qui quod timeat non habet.

Vt paullo certe momento Trochaici in Iambicos, ac viciſſim, tranſeunt. Haec tamen omnia ego in ſuperiore mearum fabularum prooemio non expreſſi ſolicite, aliis, et melioribus, vt puto, verbis ſubinde vſus, prout commoda in rem videbantur: libertate ad ſummam, quae ingeniis ſcriptorum, vt praemonui, debetur, ſalua vbique et illibata. Poteramus autem plura eiuſmodi non magno negotio, et fortaſſis emaculatiora, ex his Romuli exordiis ad priſtinos redire iubere numeros, ſi eſſet opus: et niſi noſtris hoc idem trimetris ante propemodum eſſet effectum. In his quia pulcrae ſententiae facile apparent, et numeri non aſpernandi, et verba munda, quorum nihil de ſe petere, qui epitomen fecit, Momyllus Romulus, an alius, certe inficetus, ac tantum non totus barbarus, potuit; nihil potuit eorum

praeterire tacitum in prooemiis ſuis qualiscunque Phaeder; ſi eſſet hoc verum, quod ſumunt vulgo multi, hanc prooemiorum epitomen de Phaedri opere factam eſſe: cum contra nihil illius ſententiae, nedum verborum, quae a me ſupra ſunt excitata, in Phaedri tam multis vberibusque quinque librorum exordiis, neque praeterea vſquam, in vlla eius fabula, legatur: cum tamen in Romulo inſint, praeterquam iſta, quae poſui, quaedam etiam eorum, quae apud Phaedrum item vſurpata in prooemiis leguntur: facile ratiocinando colligitur, ex aliquanto ampliore, quam eſt Phaedri, fabularum veterum Latinis verſibus ſcriptarum opere, hanc epitomen factam eſſe, atque deinceps ex hac epitoma natas eſſe ac profectas Phaedri, quae feruntur, fabulas. Nam meo quidem animo manifeſtum eſt, ex his duobus Romuli prooemiis diuulſis, atque item e breui et ieiuna Auiani, an Aniani, epiſtola, facta fuiſſe et conſarcinata principia fabularum item duo primae ac ſecundae Phaedri. Qua in re tam ſolicite accurateque vtrumque, Romulum et Auianum, ſecutus ſiue Perottus, ſeu alius, deprehenditur, vt etiam mala eorum verba, malasque ſententias, quod alio tempore oſtendi, deligeret. Sed prooemium, quod ante fabulam de ranis regem petentibus legitur, non fabulae, verum toti operi ſcriptum principium fuiſſe, vel haec ibi in Romuli opitome verba produnt. *Omne* GENVS FABVLARVM, inquit, *ſine dubio directo*

directo tramite ad homines refertur. nemo enim potest esse bonus, malus, quae sequuntur. Inde deligendo meliora, addendo que eis, quae insuper conuenire in rem putabam, exordium toti operi vnum feci, quod spero probatum iri his, qui aut indulgenter minus que seuere* doctissimi, aut scienter non indocti iudicabunt. Si enim, quae recta et Latina sint verbis, quae modulata numeris suis, iudices idonei vident: etiamsi reliquas argumenti virtutes non item perspiciant: non metuo, vt secundum nos, contra Phaedrum sint sententiam laturi. Sed quoniam ex his fortassis, atque inter alios, qui legere fabellas nostras dignabuntur, erunt aliqui, quibus aliqua nostrorum non pertractate dicta, impeditiora ideo obscuriora que videri possunt, nonnulla eorum, vt forte obuenient, breuiter enodabo.

In aditu prooemii ipsius, versu sexto, positum est *noxiae* vocabulum ea significatione, quam non omnibus in procliui futuram reor: sed habet rationem summam. E vulgaribus libris plerique sic acceperunt, esse *noxam*, aut *noxiam*, vel delictum et culpam nocituram, vel malum ac poenam, quam propterea, qui nocuit, patitur. Attamen vera Latini sermonis origine non tam culpam significat *noxia*, quam potius omnem cuiusque facti caussam: deinde ad illas res, quas dixi, similitudine vocabulum trahitur. Sic *noxae dedere*, et *noxam dedere*

 apud

apud Iureconſultos idem valet, quod cauſſae dedere, aut cauſſam. Cauſſa autem ſubinde intellegitur id, quidquid in re, in lite, ineſt, propter eam praeſtandum, qua res petitur, cum omni cauſſa. Planiſſime pro cauſſa *noxae* vocabulum vſurpauit Auſonius in Epigrammate.

Ceſſit letalis noxa ſalutiferae.

Salutiferam noxam appellat cibum ſalubrem, qui eſſet in cauſſa, cur venenum nocere non poſſet. Ciceronis illud, *Noxiae poena par eſto*, ad cauſſam damni dati rectius, quam ad culpam proprie intellegendam trahas. et *noxae aeſtimatio*, tanquam cauſſae, aut cauſſalis damni, dicta fuit. *Obnoxius* autem, de quo verbo, quid ſit, ſubtiliter Gellius quaerit, ille ſaepe dicitur, qui *ob cauſſam* debet, ideo que diſſimulat: quamobrem *obnoxie perire* apud Plautum eſt, diſſimulanter atque obiter parcendo plecti, non plane, ab eo, qui ob cauſſam, cum debeat ei, quem plectere iubetur, perfunctorie, atque per praeuaricationem, iuſſa exſequitur.

Vocabulum *Athenienſes*, quod nos quoque in prooemio velut reſtituendo poſuimus, quater ea epitomae parte a Romulo in litteras relatum eſt. Quod nunquam ſcribere ille vt correcturus ea, quae inuenerat, auſus eſſet, ſi eſſet verum, quod contendunt homines docti, e Phaedri eum verbis ſuam epitomen feciſſe. In Phaedro enim qualicunque inueniſſet *Attici*, non

non bene ibi, vt alias docui, vſurpatum. Hoc inuentum non mutaret ille meliore vocabulo, qui ſic narrandi compendia, pro more eorum temporum, inepte ſequitur, vt reſecet multa, ac relinquat fere meliora: addat quaedam ſubinde protrita ac fere ſordida, quo facilior, eius iudicio, planior que ſit vulgaris quaedam verborum humilitas: nunquam argutetur tanquam grammaticus, qui verbum pro verbo mundius reddat.

FABVLA I

Ranae regem petentes.

Aeſ. 170, Ant. 21, Rom. 18, Phae. I, 2

Quo facilius haec noſtra comparari cum Graecis ac Latinis, quae extant, fabularum periochis poſſint, ſi qua earum in his, quae ſub Aeſopi nomine feruntur, a Planude, vt credibile eſt, congeſtae, aut in Antiquis, quas Nilantius hoc nomine publicauit, deinde item in Romuli fabulis, et in Phaedri, aut apud Aphthonium denique legitur, indicium in titulis capitum huius commentarii, quota numero quaeque legatur, fecimus. Alia quaedam eiuſcemodi fabularum opera minora, quae contendi cum illis item facile poſſunt, in praeſens negleximus.

Haec prima fabula in Phaedri libris talis est, vt videatur Iambis reddere ea tantum, quae inter Antiquas Nilantii habet fabula numero XVIII, vnde expressisse sua eum, qui pro Phaedro scripsit, puto. Debuit autem adhibere etiam Romuli epitomen, vbi amplior haec fabula extat. Poterat inde emendare vitiosam narrationis candidae breuitatem, quam arguitur tenuisse in plerisque suarum, captus forma mendace periocharum, quas semibarbari homines fecerunt, dum antiquorum per epitomas operum vestigia legebat. Nam istud equidem sumo, dari que mihi interim in hac caussa vel a dissentientibus postulo, quod monumentis editis adprobaui, vt spero, doctis hominibus multis, amplius que probabo deinde, Non esse sincerum hoc Phaedri quinque librorum opus, sed multa in eo merito suspecta haberi: quae composita sint ac redacta in qualescunque trimetros saepe abnormes, nisi a Perotto solo, at ab alio quodam eiuscemodi temporum ferme illorum. Esse autem eos trimetros factos et coactos ex his fabularum periochis semibarbaris, quas Nilantius e membranis vetustis publicauit postea, aut ex aliis earum simillimis, quae in codicibus scriptae extabant. Hunc Phaedri velut fundum videri. Id si est verum, quod ego non dubito, debuit Perottus, aut quisquis est, qui Phaedrum restituere se hoc pacto putauit, non vnam scribendo epitomen, sed varias earundem fabularum, quae extabant, sequi:

qui: quia altera earum ſaepe altera plenior, praebet, vnde emendari narratio alterius manca poſſit. Hoc ille in quibusdam fabulis fecit: in aliis multis omiſit. Deinde, quum haec ſicca epitomae breuitas eſſet amplianda ornanda que nonnullis reſcribendo munditiis: ille, quaecunque in breuiſſima earum inuenerat, contraxit etiam. Hanc ſummam fabulae virtutem ratus, vt ſuccincta paucis verſibus, et Latinis vtcunque verbis, niteret. In trimetris vero recte modulandis omnibus, quorum haud paucos non erat, cur faceret, ſed inuenerat in epitoma factos, neglegentia quadam manifeſta, non inſcientia, peccauit ſaepe. Nam claudicantes quoſdam aut mancos, abnormes, et comoediae potius, quam fabulae Aeſopiae aptos, reliquit pleroſque. Planipedum licentiam imitari, quam adſtrictiorem epigrammatis et fabulae talis cultum ſeruare, maluit.

His propemodum, quas dixi, rebus inter me et illum diſtat. Sequor equidem non Antiquas modo Nilantii, verum etiam Romuli fabulas, atque item alias eiuſcemodi interdum: ille Antiquas fere expreſſit. Ille contraxit omnia: ego pleraque, quantum licet, vt copia nonnulla ac munditiis diteſcant, ſtudeo. Ille, ſi ſenarios comicorum reddat, ſatis habet: ego trimetros, quales olim fabulis Aeſopiis tribui inueneram, modulatiores melioresque vt extunderem, dedi operam. Ille epimythia

 cor-

corrupit multa: ego ornatiora, nisi fallor, haec inprimis restituo. Alia conor, si qua sunt his minora, ad eum modum. Hanc diligentiam non obscuram, neque inutilem, vt spero, adprobare eruditissimo cuique cupio: neque etiam populo, si fas est optare, quas feci, fabulas displicere.

In prima de ranis fabula hi propemodum trimetri adumbrati, quos fere seruauit, paucis mutatis, qui pro Phaedro, in verbis semibarbaris Antiquarum Nilantii extant.

Ranae vagantes in liberis paludibus
Clamore regem petierunt a Ioue,
Qui dissolutos mores earum compesceret.
\- - - *Iuppiter risit, et eis dedit*
Tigillum - - - - - -
\- - *quod subito missum leui*
Motu, sonoque terruit pauidum genus.
\- - - - - - - -

\- *mersae limo cum laterent diutius,*
\- *forte vna tacite profert amne caput.*
\- - - - - - - -

\- *explorato rege cunctas euocat.*
Illae timore postposito certatim adnatant.
\- - - - - - - -

supra

- - supraque turba petulans illusit -
Quem cum inquinassent omni contumelia.
Alium rogantes - - misere ad Iouem
- - - - - - - -
Iratus ille - - qui fuerat datus
- - cur esset illusus - - -
- misit illis hydrum, qui dente aspero
Corriperet singulas - - - -
- - - - - - - - -
- - qui dum auide eas vesci coepisset,
Fugitant inertes, vocesque praecludit metus.
- - - - - - - - -
Furtim mittunt per Mercurium mandata Ioui,
- - vt desistat - - - -
- - - - - - - econtra Iupiter,
Quia noluistis ferre bonum, vt feratis malum,
Hunc sustinete malum, ne peior adueniat vobis.

Atque ea quidem tota est fabula, qualis inter Antiquas, vt Nilantius vocauit, legitur: nullo eius epitomae verbo neglecto aut omisso. Sed sic ista posui, vt appareret, quantum eorum verborum in aliquos trimetrorum numeros, vnde profectum esset, rediturum quadam spe carminis videretur: quibus in locis, quo inter-

 vallo,

vallo, deesse quaedam verba, aut versus relicti: vt fieret haec harena sine calce, quae tamen certa veteris poetae vestigia habet, simul arguit verbis, quae habet, bonis, non comparentibus in Phaedro, et lacunis omissorum, quae nusquam, ne ibi quidem: neque sincerum esse Phaedri opus, neque ex eo vnquam hanc epitomen factam fuisse. Sed ille, qui pro Phaedro scripsit, non tam valde concisa ac deminuta mancaque, vt sunt profecto, putauit ista, neque tam sagaciter odoratus est, quam oportuit in re tali, vulgaria ac praua verba, quae descriptor Procrustes poetae veteris membris interspersserat. Ideo factum est, vt principio fabulae qualiscunque trimetri speciem deprehendens, nihil, praeterquam paruam orationis particulam IN, deleret: relinqueret, *liberis paludibus*. Non cogitabat, *liberos agros*, et siluas liberas, et fluuios liberos, quia a populo colerentur aequis legibus vso, dici sic non posse, vt *populos* ipsos *liberos*, qui arbitrio vnius non regerentur: neque idcirco locum aliquem Latine liberum appellari posse, quia in eo sine rege ciuiliter, sed quia sine arbitris licenter viueretur. Si Romuli fabulas ibi adspexisset ille, inuenisset in eis scriptum, *Ranae iam dudum in quadam* MAGNA PALVDE *morantes, et in protectione* LIBERORVM. Vnde facile diuinando intellegitur, qui epitomen faceret, eum inuenisse scriptum in poeta vetere, *liberas ranas* fuisse, quod equi-

equidem expreſſi, non *paludes liberas:* paludes autem additas multitudinis numero, ex quo MAGNAM *paludem*, tanquam ſi eſſet hoc idem, deſcribendo reddidit Romulus. Quae deinceps ſequuntur, ea paene ad verbum trimetris duobus malis repraeſentata ſunt in Phaedri fabula. Mihi vero verba *petierunt* et *compeſceret* ex aliis melioribus videntur, vel metri non reſpondentis indicio, extitiſſe mutando, et quaedam praetermiſſa fuiſſe. quamobrem extendi ego Iambis emaculatioribus. Quod item Perottus, niſi fallor, fecerat in his, quae deinde poſita verſibus duobus legebantur: vt ipſe quoque in partibus agnoſceret, redintegrari ampliando epitomen oportere. Attamen etiam veſtigia eorum, quae mea ego vtcunque fabula reſtitui, quae in Antiquis deerant, in Romuli epitome nonnulla inueni. *Quibus innocentibus*, inquit, *quamuis praua petentibus, pius Iupiter volens eas alludere, valde magnum truncum annoſae cuiuſdam arboris illis in ſtagnum pro rectore miſit.* Vnde proditur emblema eſſe eius, qui pro Phaedro ſcripſit, idque minime ferendum, quod ibi ſcribitur, PARVVM *tigillum:* tanquam aliquo exemplo, vt *minuti piſciculi* apud alios leguntur, defendendum. Sed rationem iſtud non habet, et videtur additum temere vocabulum, dummodo ne acephalus trimeter relinqueretur. At enimuero vnde Romulus feciſſet ſuum VALDE MAGNVM TRVNCVM, ſi illa, quod multi

multi contendunt, de Phaedro esset facta epitome: si ille ibi, tanquam in archetypo libro, PARVVM TIGILLVM inuenisset? quo pacto hoc tam paruum subito cresceret, vt *valde magnus* fieret *truncus?* Quo pacto autem ranae adspicerent tam paruum? et sonitu noscerent? et regem haberent? et Ioue dignum? Certe versus temere absoluendus, non alia satis caussa minuit. Sequitur versus huic epitomae Antiquarum, et Phaedro, et mihi communis,

Motu sonoque terruit pauidum genus.

in quo simul numeros pulcros deprehendimus, atque obiter legem huius operis, custodientem in locis paribus pure Iambos suos, quinto spondeum fere aut anapaestum: qua de re supra in praefatione egi.

Hunc versum excipit alius, cuius reliquias, quum de ranis concepta fuisse veteris poetae verba satis se ostendant, non iam de arboris trunco, ad tigillum suum male conuertit, qui pro Phaedro habetur. Nam si mersum iacuit, aut latuit potius, tigillum, qui conspici atque explorari a ranis potuit? Ille quoque, Perottus, an alius, vocabulo vno Antiquarum huius in narratione fabulae captus est, dum *diutius* post *iaceret* scriptum reliquit, quale inuenerat in Antiquis. quo pacto ipsi Creticus quinto trimetri loco extitit. Quod enim putet aliquis, hoc verbum *diutius* dactylum fieri per crasin et liquefactionem secundae syllabae ad pri-

primam posse, nihil est. Eodem errore, *contumelia inquinare*, *alium rogantes*, *dente aspero*, atque alia istiuscemodi verba non bona, quae debuit relinquere, ab epitoma Antiquarum mutuatus est. Hoc quoque parum intentus in operis restituendi formam, quod multis subinde verbis truncata, expleri posse singulis fere vocabulis iudicauit, dummodo versus, qui adumbratus esset in Antiquis, explicaretur.

Atque ista curiosius, quam pro more meo, copiosiusque scripta sunto, in exemplum non huius modo, sed aliarum quoque toto opere fabularum: vt plane inde appareret, quae illius, quae nostra esset ratio. In reliquis, vel si quis verba et numeros vtriusque adspiciat conferatque, adhibereque velit eam ad rem Nilantii librum, per se facile, quid sit effectum, iudicabit.

FABVLA II

Gallus gallinaceus et margarita.

Ant. 1, Rom. 1, Phae. III, 12

Haec fabula ordine prima legitur in Antiquis, in Romulo, in Anonymo Neueleti. Inde facile intellegi potest, cum hos omnes ab vno fonte suarum fabularum argumenta ducere,

re, tum neminem eorum Phaedri trimetros qualescunque in manibus habuisse, vnde suam epitomen faceret. Nemo certe eorum hanc fabulam, tanto interuallo reiectam, libri tertii duodecimam, repetitum iuisset, vt primam operis e compacto, nulla apparente eius consilii caussa, facerent. Longe illis talibus ea cura, vt super ordine fabularum immutando iudicium suum interponerent. Quidquid invenerant, rerum omnium securi, arctatum, atque interpolatum pro captu, refundebant. Adde, quod etiam hoc ipsum plane fatetur Romulus. *Aesopus*, inquit, *hanc* PRIMAM *fabulam dicit de his, qui despiciunt sapientiam.* Primam testatur posuisse, editque caussam, cur primam posuerit. Est autem Aesopus illi non sane, qualis Graecis quibusdam periochis intellegitur potius extitisse, quam legitur et cognoscitur vllo reliquo ingenii tanti vestigio. Nam hae periochae primam eam fabulam non habent: neque eas sequitur ille. Sed Aesopus illi est poeta vetus, qui Latine fabulas scripserat, ignotus hodie, e quo ille suam epitomen fecit. Erat autem in more ferme eorum temporum situm, vt omnes fabularum talium scriptores Aesopos dicerent. Hac lege Auianus passim Aesopus audit: et ille quoque ipse Romulus, qui suum Aesopum nihilo rectius laudat, hominibus illis Aesopus merus, atque ille Atticus, est. Manifestum vero, neque laudari a Romulo Phaedrum eo nomine,

nomine, qui hanc primam non posuit fabulam, neque exscriptum eius ab illo opus fuisse. Attamen habet Romulus Phaedri subinde verba, non petita e Phaedro: vt haec quoque fabula eorum plena est. Fit igitur, vt nihil aliud supersit, nisi aut vtrumque e communi fundo messuisse eadem, aut eum, qui pro Phaedro fertur, e Romulo quoque, quod equidem puto, suorum verborum sumsisse multa. Et hoc loco videtur sine dubio Perottus vtramque epitomen, Antiquarum et Romuli, secutus. In aliis fabulis Antiquas exprimit, relicto Romulo. Haec est caussa, cur ea de pullo gallinaceo Phaedri fabula possit ex his Nilantii obiter emendari. In earum libris constanter scribitur, *gallus*, non *pullus*. Hoc si inuenissent illi in vetere poeta, non mutarent: aut si verbum verbo redderent, non in hoc rectum incidissent. *Sterquilinii* vocabulum, in vtroque minus emendate positum, decepit Perottum, vt versum eo ordiretur, qui expediri non potest: habet enim Amphibrachum pro Iambo loco sinistro secundo. Emendatius est etiam auctoritate codicis Pandectarum Pisani, *sterculinum*, syllaba detracta: quod constanter sic ibi legi iam olim Brissonius monuit. Quo pacto scriptum in libris vetustis nos quoque inuenimus, vt verbi caussa in probis Plauti comoediarum membranis, quae extant in hac vrbe. Etiam metri in Plauto ratio poscit istud, neque admittit vllo pacto *sterquilinium* syllabis quinque differendum. Vt ille sane Persa,

Com-

Commixtum coeno ſterquilinum publicum,

et Caſina, membranis aliis vetuſtiſſimis, habet:

E ſterculino effoſſe, tua illaec praeda ſit.

Terentium Phormione, quanquam varient membranae, metri cauſſa, vt verſus trochaicus quadratus procedat, non eſt dubium item ediſſe hoc pacto,

Vanitatis? minime. dum ob rem. ſterci-
linum. Dorio.

Sed hoc idem, libris contra ſtantibus, non ſcripſit, qui pro Phaedro fertur: quidquid tendat pro eo, vt liberet ſuſpicione erroris, Gudius. Nam, oportere ſic ſcribi, recte probat: ſcriptum extare in fabula, qua libri negant, gratis ait.

Sequuntur nonnulla, quae mihi videntur eſſe Perotti emblemata illis Antiquarum verbis interſperſa. vt, QVANTA *res: cupidus* PRETII: *ſplendorem* MAXIMVM. Antiqua rectius, *optima res:* Romuli fabula, *bona res*. Inde natum videtur fuiſſe iſtud aliquanto deterius, QVANTA *res*, ne verſus labaſceret. *Cupidus* priuum, non adiecto alius verbi velut modo, in vtroque eſt. Sed illi in hoc qualecunque elegantiae veteris veſtigium temere non incidiſſent, niſi ſic ſcriptum inueniſſent in poeta Latino, vnde ſuam quisque epito-

epitomen trahebat. Quaedam Latina huius fabulae Antiquarum et Romuli, nec Phaedri vſquam, verba, vt, *in decorem tuum redires*, et, *ad ſplendorem priſtinum decoris tui redires*, alia eiuſcemodi, hoc idem videlicet docent. Haec non a Phaedro petita, ab ſe petere illi non poterant: petierunt igitur ab alio ſcriptore bono, atque eo poeta: nam numeri carminis quoque apparent in talibus. Multa eorum verba, et numeri, et verſus toti, leguntur etiam in Phaedro: hunc igitur neceſſe eſt ex illis profeciſſe, quoniam, vt ex hoc illi, fieri nullo pacto poteſt.

FABVLA III

Lupus et Agnus.

Aeſ. 233, Ant. 3, Rom. 2, Phae. I, 1

Verbum iſtud, *fauce improba*, Grammaticorum fere, qui Phaedrum ſunt interpretati, crucem, in vtraque legimus epitome Antiquarum et Romuli. ac tertia haec fere vtriusque fabula eſt, quem nos ei locum reſtituimus. Facile apparet, hoc verbum, quod defendi vix poteſt, ſumſiſſe, quum ſcriptum inueniret, Perottum ex illis: ſed repudiandum eſſe propter hos libros, id, quod aliqui praeferebant, *face impro-*

improba. Antiquae fabulae in principio, prope finem Romuleae legitur: quamobrem putaui, tot libris affirmatum vetus esse *τὸ fauce*, sed adiectitium habere interpretamentum melioris vocabuli, quod illi, vt glossam linguae secretioris, omitterent, ponerent, quod erat in promtu vel parum facundis, *improba*. Caussam eius rei dixi alio tempore. *Turbulentam fecisti*, verbo tam male Latino, in quo Perottus caperetur, extat in Antiquis. Rectiora ibi dederat Romulus. *Quare mihi perturbas*, inquit, *aquam bibenti, et luteam eam efficis*. *Laniger*, priuo verbo, haud bonum, et *latro*, et alia eiusmodi, e manca Antiquarum breuitate repetita sunt.

FABVLA IIII

Graculus inter Pauones.

Aes. 191, Ant. 26, Phae. I, 3

Antiquae hic *pennas pauonum* aliquanto rectius edunt, quam qui pro Phaedro, *pennas pauoni*. Sed *deciderant*, in eis quoque scriptum, errore extitisse puto pro *ciciderant*. Ceterum ista prope ad verbum hac Antiquarum parte in Iambos qualescunque se colligunt.

Tu-

Tumens inani graculus superbia
Pennas pauonum, quae deciderant, sustulit,
Exinde se que ornauit: contemnens suos,
Se miscuit pauonum formoso gregi.
Illi imprudenti pennas eripiunt aui,
Fugant que miserum. Male mulcatus graculus
Redit - - - maerens ad proprium genus.
A quo repulsus iterum sustinuit notam
Luctificam, cetera.

Aliqua tamen eorum non retinui, quia contaminata, vel numerorum labantium indicio, putabam. Aliqua inserui meis, qua res poscere integra et proba videbatur. Sed qui pro Phaedro fertur, dum nimis premit epitomae vestigia, vel cum dispendio elegantiae ac numerorum, cur quaedam satis concinna, vt *luctificam notam*, atque alia, neglexit?

FABVLA V

Canis exta ferens.

Aes. 213, Aphth. 35, Ant. 7, Rom. 5, Phae. I, 4

Huic et sextae nostrarum fabulae neruos succidit qualiscunque Phaeder. Hos illis restituere vtcunque conati sumus. Nihilominus

nus tamen in ea parſimonia verborum mutuatus eſt nonnulla minime bona de penuria epitomae vtriuſque: vt *carnem ferre*, pro carnibus, aut extis, aut offa ferenda. Aliquanto melior hic quidem Romulus, *partem crudae carnis*, poſuit. *Nympharum ſpeculo*, quod extat in Antiquis, quanquam non reſpondeat ad numeros, praeſertim ab initio verſus, apprime tamen elegans eſt. Propterea ſeruauerat, qui pro Phaedro, minime ineptus ille quidem elegantiae in verbis, et breuitatis in narrando mundae, ſed adſtrictae, arbiter. Non bene de eo hac parte meriti videntur, qui pro eo, quod dixi, ediderunt in exemplis fabularum eius, *Lympharum ſpeculo*; quod plurimum abeſt ab illius verbi nitore. Aliqua contra epitomae verba, quanquam eſſent item elegantiſſima, non vidit, neque transtulit ad opus ſuum Perottus, vt, quod in Romulo ſcriptum eſt, *cum vmbram repercuſſam in profunda aqua vidiſſet*. Hoc Romulus, vt pro aliis verbis poetae vetuſti poneret, non potuit comminiſci. Satis enim deſcribendo rudem ſe prodit rerum non minus, quam verborum. Relatum igitur in litteras inuenit. Sed mutauit, deteriora ſuo ingenio gloſſae in vicem verba commentus is, qui Antiquas conſarcinauit, quum daret pro eo, *ſimulacrum ſuum*. Id legit et vſurpauit, illo altero omiſſo, Phaedri fabularum architectus. Etiam hic verſus, et quintus huius fabulae

in

in Phaedri libro, abnormis fere atque immodulatus: quartus autem parte aliqua mancus, ne expediri quidem poteſt: quod eo videtur accidiſſe, quia neglegentius properantius que, vt ſaepe, atque paene ad verbum deſcripſit pleraque Antiquarum, in quibus aliquam numerorum ſpem videbat, emendaturus poſtea, ſi per occupationes rerum aliarum liceret. Vt ecce, in hac fabula, iſta ſunt Antiquarum verba:

Nympharum ſpeculo vidit ſimulacrum ſuum,
Alteram que praedam ab altero ferri putans,
Eripere voluit . at decepta auiditas
Dimiſit offam, quam ferebat . cetera.

Neque eſt diſſimulandum, dactylici quoque verſus hexametri ſpeciem in hac fabula, ab Antiquarum deſcriptore, qui congeſſiſſe diuerſorum poetarum lacinias videtur, relictam apparere:

Et ſua non potuit extremo tangere dente.

FABVLA VI

Societas pecudum cum Leone.

Aeſ. 229, Ant. 9, Rom. 6, Phae. I, 5.

In hac fabula, dum Antiquarum nimis verba legit Perottus, inuenit que ibi ſcriptum, *obviam fuerunt cum leone*, fecit inde ſuum, ratione ſuadente ac re, ſed inuita Latinitate, *ſocii fuere cum leone*.

FABVLA VII

Sol maritus.

Ant. 10, Rom. 7, Phae. I, 6

Hanc fabulam, qui pro Phaedro, inſcripſit *Ranae ad Solem*, non bene. nam ad Iouem ibi, non ad Solem ranae conqueruntur de Sole. Rectius in Antiquis ac Romuli habetur, *Sol vxorem ducens*. Argumentum iſtud equidem inflexum aliquo modo, ornatius, niſi fallor, conuenientius que, quam eſt in Phaedro, reddidi. Quid, quod epitomae quoque illae, quas dixi, ſemibarbarae, aliquanto ſcitius, vbi rem ſpectes verbis omiſſis, ac melius, quam ille, narrationem huius fabulae expediunt. In verbis etiam videtur ille admiſcuiſſe aliqua parum Latina, vt *quondam velle ducere*, pro *voluiſſe*, et *liberos* pro quacunque ſubole.

FABVLA VIII

Lupus et Grus.

Aeſ. 144, Aphth. 25, Ant. 64, Rom. 8, Phae. I, 8

Monſtrum verbi, quod Phaeder auſus eſt, *gruis*, caſu primo, neque Antiquae habent, nec Romulus. In illis iſto potius modo verba ea concepta ſunt,

Tan-

Tandem persuasum iureiurando gruem.

Huius autem trimetri, in quo sententia epimythii manca, et verborum quoque ratio claudicat,

Impune abire deinde quia iam non potest,

nullum vestigium in Antiquis: neque in Romulo.

FABVLA X

Lupus et Vulpes Simia iudice.

Ant. 28, Phae. I, 10

Quod non placuerat mihi in qualicunque Phaedro, *arguebat furti crimine*, extat illud in Antiquis, sed ita, vt natum videatur, vocabulo a descriptore fabularum addito, e vertis, *arguebat furti*: Illo fortassis pacto in litteras relatum inuenerat quisquis epitomen istam fecit:

Vulpem arguebat impius furti lupus:
Sed haec negabat esse criminis rea.
Vt vera discat Simius iudex sedet.

Haec proxime ad verba, quae extant in Antiquis, accedunt. Deinde in Phaedri verbis manifesto desunt aliqua, quae spectabant ad formam iudicii. Nam frigidiuscule illa videtur suppleuisse, qui pro Phaedro, atque ita,

vt apparеant velut futurae ac cicatrices eorum, quae diuerfa in vetere poeta olim fuiffe, epitome Antiquarum facile oftendit: dum rectius aliquam iudicii formam tenet. *Caufam*, inquit, *dicunt: refpondet Simius*. Nos tamen alia haec, profecto etiam manca et comminuta, quod res et ratio pofcebat, fecimus. Sequuntur communes trimetri duo recte modulati, ac reliquorum, quomodo non infrequentes in hac epitoma funt, exempla vera: nifi quod defcriptor barbarus *quaeris* eo loco repofuit, in fine trimetri, vbi videtur inueniffe *petis*, aut aliquid aliud eiusmodi.

Tu non videris perdidiffe quod quaeris:
Te credo furpuiffe quod pulcre negas.

Nifi quis malit in altero verfu fcriptum, *fuftuliffe*, quod mihi placuit, fuiffe: non *furpuiffe*, aut, *furripuiffe*. Sunt praeterea quoque nonnulla huius fabulae in Phaedro non bona: vt, *culpae proximam*: vt, *iudex inter illos*, cetera. Nam non, quia *affinis culpae* Latine dicitur, etiam *proximus* hoc exemplo.

FABVLA XI

Ceruus ad fontem.

Aef. 184, Aphth. 18, Ant. 41, Rom. 29, Phae. I, 12

Hic quoque apparent quaedam corollaria eius, qui pro Phaedro fcripfit, non fat munda: quorum nihil, neque in Antiquis, neque

que in Romulo extat. Talia ſunt, *exſerit narratio*: *effigies* pro vmbra, aut pro eo, quod ſupra fuerat poſitum, non ita contaminate, *ſimulacrum*. Adde, *crurum tenuitas*. Illi, qui epitomen fecerunt, meliora hic iſtis verbis omnia. *Videns*, inquit; VMBRAM *cornuum ſuorum in flumine*: et, *Crura vero* TENVIA *vituperat*. Quae Phaedrinis emendatiora in vetere poeta non indocto invenerant ſcilicet.

FABVLA XII

Coruus et Vulpes.

Aeſ. 208, Aphth. 29, Ant. 15, Rom. 13, Phae. I, 13

Frigidum Phaedri verbum, *de feneſtra*, in vtraque epitoma, Antiquarum et Romuli, extat: quod illum decepit, vt frequentandum putaret. Sed illi, vt opinor, *de caniſtro*, aut aliquid eiuſmodi, legerant, vnde, notiore vocabulo, feneſtram facerent. In Antiquis praeterea ſcriptum eſt,

O quis tuarum, corue, pennarum vigor.

Videtur laudare alarum remigium, non velut gratam ac pictam auis ſpeciem. Sed in Romuli et in Phaedri exemplis *nitor* eſt relatum. Deinde bis, *Si vocem haberes latiorem*: quod

 ex

ex alio vocabulo prognatum puto. Nam Phaedri, *si vocem haberes*, tanquam si mutum vulpes coruum putaret, tam peccat, meo quidem animo, quam quod sequitur, *dum vult vocem ostendere*. Si Romulum audimus, editum fuerat a vetere poeta, *si vocem haberes clariorem;* quod in rem conuenit: rauci enim corui.

FABVLA XIII

Canis calumniator.

Ant. 5, Rom. 4, Phae. I, 17

Hac inprimis fabula labare Phaedri ingenium, et esse signa quaedam saeculi deterioris, alio tempore notaui. Nam argumenti certe narratio rectius hic expeditur in Antiquis, atque apud Romulum, quam in illius fabulis.

FABVLA XIIII

Canis et Scrofa.

Ant. 54, Rom. 9, Phae. I, 19

Romulus, atque item qui pro Phaedro fertur, pro scrofa huius fabulae caniculam posuerunt. Sed scrofam habet Antiquarum liber.

liber. Non erat cauſſa, cur mutarem, vt illae partes caniculae mandarentur potius. Sed hoc idem, quod variatur, argumento eſt, ſuper alia multa eiuſcemodi, non poſſe fieri id, quod commentariis ſuis ad Phaedrum grammatici pugnant, vt hae Nilantii Antiquae deſcribendo e Phaedri trimetris natae extiterint. Id enim ſi eſſet verum, nunquam in animum induxiſſet is, qui deſcripſit, expuncta canicula ſcrofam reſcribere. At poſuit hoc, quod ibi deeſt. poſuit igitur ex alio. Quae ille verba in litteras relata accepit, integra ſaepe reddit: etiam numeros ſaepe, ac totos trimetros refundit. niſi qua reſecat atque relinquit aliqua, quae ipſi recondita ac difficilia, aut abundare quadam copia videbantur, nihil ferme mutat. Verba interdum rariora, aliis deterioribus, ſed notis ipſi, circumſcribit. Iudicio certe ſuo in conuertenda narratione, tanquam emendaturus, non vtitur. In hac tamen fabula, quum verba ſibi et Phaedro communia, et numeros quoque vſurpet, narrationem argumenti aliam, quam nunquam faceret, ſed accepit, habet. Ideo neceſſe eſt, eum ipſos trimetros Phaedri accepiſſe ab aliquo poeta non Phaedro, qui diuerſus ab eo, verbis tamen et numeris conueniret. Iſtud quidem contingere lege alia nulla potuit, niſi ſi vterque e vetuſtiore poeta communiter ſcribenda aut repeteret, aut ſi Phaedri ſaltem libri ea parte, qua congruunt, ex epitome

Anti-

Antiquarum conſcripti, velut reſtituendo in faciem poetae veteris priſtinam, fuerunt: quod ego non veriſimile modo, ſed prope verum eſſe cenſeo. In Antiquarum verbis legitur hoc loco, *foetus exponeret:* in Phaedro deterius, *foetum deponeret:* in illis, *vt catuli firmi exirent:* in iſto, *dum firmiores catulos poſſet ducere:* In illis, *Coepit cubile ſuum repetere et cogere:* in iſto, *Flagitare validius Cubile coepit:* alia ad eum modum: quae nitidiora fere in Antiquis, quid vnde ſumtum ſit, oſtendunt.

FABVLA XV

Canes famelici.

Aeſ. 211, Ant. 2; Phae. I, 20

Hanc fabulam quia mancam Antiquae poſuerant, talem reliquiſſe, qui pro Phaedro ſcripſit, videtur. Ego vero reſtituere conatus ſum, qualem opinor olim editam fuiſſe a poeta, cuius nomen ignoratur. Aliquos vt refingendo neruos acciperet, et mentem nonnullam, quae deerant, ſtudui. Nulla enim tam re, quod ſupra aliquoties monui, in Phaedro peccatum eſt, quam breuitate vitioſa.

FABV-

FABVLA XVI

Leo ſenex et Aſinus.

Ant. 16, Rom. 14, Phae. I, 21

Haec fabula, praeterquam quod verba habet parum nitida, et verſus in Phaedro quoque obuios, vt illum,

Et vindicauit ictu veterem iniuriam:

deinde, *mox confodit cornibus: cornibus frontem exterit*, aut, *extudit:* alia ad eum modum: clauſula deſtituitur apta, cuius veſtigia minime repudianda ſeruant Antiquae et Romulus Nilantii. *Cum eſſet virtus mea*, inquit, *fuit honor, fuit timor, vt omnes viſo me fugerent, et opinio ipſa terreret. Plures, quos beniuolus non laeſi, quibus et auxiliator fui, ipſi malignantur mihi: et quia ſum ſine viribus, nullus eſt timor priſtinus. Manſuetos eſſe in dignitate.* At Romulus, *Quamdiu habuerim*, inquit, *vires, honor meus et timor vbique ſuper omnia animalia dilatatus eſt, vt omnes, viſo me et audito, me ſparſim per terras trementes fugerent, et etiam ipſa mea opinio plures terrebat. Nec, tam grauiter dolorem ſuſtinuiſſem, ſi illae beſtiae mihi tantummodo malefacerent, quibus antea male-*

malefeci. Sed et illae, quibus auxiliator fui, mihi malignantur, et quia ſum ſine viribus priſtinis, priſtinus honor et timor a nullo redditur. Monet haec fabula, Omnes potentes debere manſuetos fieri poteſtatibus ſuis. Agnoſcis hic vtriuſque deſcriptoris epitomae communia, petita illa e fundo communi poetae veteris: horum tamen, quia in eadem Phaedri fabula nihil extat, alium eſſe eum poetam, ac minime Phaedrum, manifeſtum eſt. Communia autem eorum verba, *Honor meus et timor: omnes viſo me fugerent: opinio ipſa terrebat: quibus auxiliator fui: ſine viribus priſtinis: timor priſtinus.* Quae quidem nullo negotio redire videntur ad numeros, his propemodum, qui ſequuntur, trimetris, quorum e ſimilibus extitiſſe verba puto. Sed ſupra rotundiora, magisque, vt ſpero, concinna, integra ingenii libertate, expreſſimus.

Dum ſalua virtus, et timor, et honor omnium
Fui ferarum: quae vel auditu meae
Fugerent trementes vocis: aut viſo procul.
Terrebat ipſa plurimas opinio.
Quibus benignus idem et auxilio fui,
Has in iacentem nunc quoque experior malas.
Quia deſtitutus viribus ſum priſtinis,
Reliquit omnes priſtinus noſtri timor.
Iſtis monetur, ſortis incertae memor,
Manſuetus vt ſit, qui poteſtatem gerit.

FABV-

FABVLA XVII

Muſtela et Homo.

Ant. 29, Phae. I, 22

In hác fabula narranda non verbis modo ſubinde melioribus exſurgit oratio Antiquarum, quam qualiscunque Phaeder, ſed totis quoque verſibus, quos ille aut non habet, cum ſublegere ceſſaret, aut non deprehenſos, quales eſſent, refingendo corrupit. Malum autem verbum, nec Latinum, *Nunc quia laboras*, non propoſuerant Antiquae: debitum igitur eius ingenio, qui pro Phaedro ſcripſit. Deinceps, quod verſus in Phaedro claudicat, - - *quaeſo*, *inquit*, *parce mihi*, natum videtur errore ex iſtis Antiquarum verbis, *Et muſtela*, *Rogo*, *parce mihi*. Hic quoque ibi verſus, vno vocabulo paullum tranſpoſito, melior, quam in Phaedri fabula:

A muribus moleſtis purgaui domum.

et, qui ſequuntur, propemodum toti in Antiquarum oratione tales, quales poſui:

Reſpondit ille, Non facis cauſſa mea.
Nam gratum haberem, ſi pro me, ac veniam darem.

Nunc

Nunc ideo mures, improba, vt comedas, necas:
- - nostras - - - reliquias,
Quas illi erant rosuri, totas deuoras.
Noli imputare vanum - - beneficium.

Haec prope, vt dixi, ad verbum. Sed supra alia, atque, vt opinor, meliora tenui.

FABVLA XVIII

Canis fidelis.

Ant. 23, Rom. 20, Phae. I, 23

Hic Antiquas qui male describendo congessit, quum elumbe aliquid in principio posuisset, quod tamen spondeis vtcunque implere mensuram trimetri videbatur in haec verba,

Nocturnus fur cum panem misisset cani:

totum istud, quale natum erat, putauit inter Iambicos suos celebrari posse, qui pro Phaedro scripsit: atque ideo fabulam quoque illius a capite ducit vendit que. Deinde hoc quoque Antiquarum verbum non bonum expressit ac retulit,

Canis ait, linguam vis meam praecludere.

et mox,

Vt facias, quaeris, per meam culpam lucrum.

Atta-

Attamen ſi illa, qualia ſcripta fuerunt, nos que ea proponimus, integriora reliquiſſet, multa exitura erant rectiora, quam nunc in Phaedri libris leguntur. Qua de re nos alio libro, quae erat opus, edidimus. Ceterum fabulae huius argumentum plenius, atque, vt opinor, melius etiam, tametſi verbis plerumque barbaris, Romulus eſt proſecutus. Ex eo nos eſſe repetenda credidimus ea propemodum, quae vtcunque ornatiora ſupra poſui. Ille quoque trimetros aliquos prope integros atque intactos deſcribendo frequentauit, qui, quoniam non ſunt in Phaedri hac fabula, ex alio videlicet poeta, qui Aeſopias ſcriptas trimetris relinqueret, ſumti ſunt. vt iſti,

Gratis ne panem, ſtulte, porrigis mihi?
An, vt videtur, prodam vti dominum meum,
Domum, pecuniam, ac familiam eius, tibi?
Panis aliter vicem vnde reddam, neſcio.

Sequuntur alia eiuſcemodi, quorum, quae ſunt paullo elegantiora, vt *vicem panis reddere*, et quae ſunt his ſimilia, de ſe petere Romulus non potuit.

FABVLA XVIIII

Rana et Bos.

Ant. 33, Phae. I, 24

Rana rupta, titulus eſt fabulae in Antiquis, et in Phaedri, inſcitior ille vero ab euentu: nam rupta non loqueretur, ne in fabula quidem. Ille ſcripſit, *ſi eſſet altior*: quod rectius eſt, meo quidem animo, quam Phaedri verbum, *ſi eſſet latior*. Corruptum ex eo putes: prorſus vt ſupra Antiquae, eodem in vocabulo peccantes, *latiorem vocem* prodiderunt. Vterque *ſimili modo* pro *rurſus* perperam dictum vſurpant, adduntque alia quaedam non munda ſatis. in vtroque extat iſte trimeter,

Nouiſſime indignata, dum vult validius.

Poſt eum ea, quae ſequuntur, ſic potius videntur primum a vetere poeta ſcripta fuiſſe, quam quo pacto in Phaedri eduntur libris,

Inflare ſeſe, rupta funditus interit.
Inopem ſuperbum tangit illa fabula,
Qui ſe, potentes aemulando, vlciſcitur.

aut fortaſſis hoc modo,

Qui punit ipſe ſe potentis aemulum.

FABV-

FABVLA XX

Canis et Crocodilus.

Ant. 31, Phae. I, 25

Corcodilus bis editum in fabulis Phaedri fuisse, non *Crocodilus*, istamque per scripturam non peccatum esse in legem syllabae corripiendae, quae antiquiore similitudinis ratione produceretur, vt suadeat Gudius verbis multis librorumque exemplo, nunquam mihi aliisque persuadebit. Sed errauisse eum, qui pro Phaedro scripsit, in syllabae modo reddendo, verius est. Nam hoc peccatum, vt accidisse ei putemus, alia eiusmodi in his quinque libris, parum diligenter exacta, faciunt. Accedit ad ista, quod in codice Antiquarum constanter legitur *Crocodilus*. Alia huius item fabulae verba sub Phaedri nomine edita fuerunt non satis munda, quorum vestigium in Antiquis non extat:. vt; *deridetur turpiter: lambe otio: de dolo vereri*. Initium fere fabulae secundum Antiquas hoc videtur trimetro conceptum fuisse,

Bibunt canes currendo Nilo e flumine.

Non igitur de Phaedro est, qui aliud initium huic fabulae fecit.



FABVLA XXI

Vulpes et Ciconia.

Ant. 63, Phae. I, 26

Prauum eſt in principio huius fabulae apud Phaedrum verbum, *Multandum ſimili iure:* quod non aliud veſtigium habet in Antiquis vel propter ſententiam, quam quod in Epimythio, *Nullum deridere*, inquit, *alium: et qui verbis ſe deludunt, ita vere fatigantur iniuria.* Puto ſcriptum primo fuiſſe, *vera fatigantur iniuria.* Deinceps mendoſum eſt, quod in Phaedri libris editur, a capite huius fabulae,

Vulpis ad coenam dicitur ciconiam,

non, *Vulpes*, vt oportebat. Nam illo modo choreus pes, contra omnem naturam Iambici generis, initium verſus vitiat. Manifeſto autem errore hoc videtur ortum fuiſſe e ſcriptura Antiquarum, vbi cum ſcriptum reperiretur quadam ſpecie ac veſtigio numerorum,

Vulpis ad coenam prior inuitauit ciconiam,

putauit Perottus, aut quicunque reſtituere hoc argumentum fabulae ex Antiquis auſus eſt, priora eorum verba, et ſcripturam quoque, qua erant concepta, integra ſe poſſe relinquere. Satis habuit, conuertere verbum, *inuitauit*, in, *dicitur inuitaſſe*. At mihi videtur ſic potius in litteras relatum a vetere poeta fuiſſe,

Inui-

Inuitat ad coenam prior ciconiam

Vulpis.

aut hoc pacto:

Vulpis vocauerat ciconiam prior.

Sequuntur corrupta eius ingenio, qui nobis restituit, vt putabat, Phaedrum: *liquidam sorbitiunculam*. At Antiquae, *Posuit illi in scutella sorbitiunculam*. Romulus, qui illi vocabulo male abundanti videtur occasionem praebuisse, *sorbitiunculam in catino liquidam*. quod rectius tamen illo fertur, quia *catini* vocabulum adiectum est, tanquam si dixisset, diffluentem in catino. Reliqua nos propius supra ad epitomarum sententiam, quam qui pro Phaedro.

FABVLA XXII

Canis et Vultur.

Ant. 32, Phae. I, 27

Hic, quem posui, fabulae titulus, legitur in Antiquis. ideo veriorem, quam in Phaedri libris est, restituere mihi visus sum. quo enim ista diffuta, *Canis et Thesaurus et Vulturius?* tanquam si thesaurus quoque inter personas fabulae. In Antiquis ad verbum hoc legitur,

Iniecta est illi diuitiarum cupiditas:

vnde male modulatum constituere se trimetrum posse credidit, qui pro Phaedro habetur. Se-

quuntur proba ac munda in Antiquis verba, *per quas sacrilegii lueret poenas*, quae neglexit ille, vt sententiam impeditiorem redderet deterioribus vocabulis,

Poenas vt sanctae religioni penderet.

Sic fortasse primum collocata poetae veteris verba fuerant,

Vt lueret vsque diues in poena graui
Sacrilegium, nec ausus vti copia.
Intacta haberet multa cupidus, nec tamen
Haberet. Aurum seruat, oblitus cibi,

quae sequuntur, aliter a me quidem supra expedita.

FABVLA XXIII

Aquila et Vulpes.

Ant. 14, Rom. 11, Phae. I, 28

Innumeris ille, vt saepe, numeris, *sublimes debent humiles metuere.* Anceps vero dictum. Pendeas animi, ne qua fraus oraculi vocem referat, *Aio te Aeacida.* Deinde, vt quamuis potentibus humiles etiam metuendi sint, quo pacto accidat? Satis habent illi, dummodo ne despicatui ducantur illis: timeri nolunt. Parum ait sententia, quaecunque nimium. Sed nata est videlicet inconcinnitas ista e balbutie Antiquarum. *Vt quamuis sublimes sint,*

ſint, inquit, *opibus*, *tamen humiles metuere debent*.. Rectior hac parte Romulus, qui ſic illa concepit, *Frequenter euenit*, *vt impotentes poſſint nocere potentioribus.* Excipit hunc alius elumbi ſententia verbis que non commodis verſus,

Vindicta docili quia patet ſolertiae.

In reliquis fere orationem Antiquarum ſequitur, qui pro Phaedro eſt, velut iſte malus trimeter ad verbum ibi extat,

Incolumes natos ſupplex vulpi reddidit.

Nam τὸ *reddidit* Antiquarum hic etiam melius relatum eſt, quam Phaedri, *tradidit*. Alia quaedam de ſuo illis adiecit non bona, vt, *luctum importarent*, ac, *tuta quippe ipſo loco*.

FABVLA XXIIII

Columbae ac Miluus.

Ant. 22, Rom. 19, Phae. I, 31

Hanc, et eam, quae ſecundum hanc legitur, fabulam, copia nonnulla, vt ſpero, expoliui, prae ea facie bona quidem, quam habent illae in Phaedri libris. Secutus autem ſum veſtigia non obſcura vtriuſque epitomae, Antiquarum et Romuli. Nam de columbis fabulam non inſcitam, vt dixi, ſed breuem nimis fecit,

qui pro Phaedro: et post pauca, quae non optima inseruisse de suo videtur, clausula praerupta, *Merito plectimur*, destituit potius lectoris animum, quam vt velut exsatiatum sententia dictorum dimitteret. Aliqua tamen sic quoque, nisi fallor, meliora extant in oratione Antiquarum: vt istud,

Et celeritate pennae mutassent necem:

vbi τὸ *mutare* dictum mihi cum quadam elegantia videtur: quod etiam defendit Burmannus ad hunc Phaedri versum. Fortasse etiam *pennarum* ibi recte legitur, non *pennae*, si pro *mutarent* aliud vocabulum positum fuerat. Hoc quoque mundius, quod scriptum est,

Consilio raptor - - vertit fallaciam.

Mox, tanquam si esset versus absolutus, haec pars epitomae cruda transscripta est,

Qui regnum adeptus coepit vesci singulas.

mirum vero, quod singulas, neque decuriam quoque bolo. Illa scilicet corrupta in epitomis, tanquam si essent integra, saepe legit expressitque, qui nobis Phaedrum dedit. Extat ibi quoque communis ferme poetae veteri, et qui pro Phaedro habetur, et mihi versus,

Auxilia cum requirit, exitium inuenit.

In vocabulo *miluus* seruaui ego merito vete-

rem,

rem, atque, vt puto, vnice veram formam, vt *miluus* syllabis tribus Latine dicatur, nunquam *miluius*, quod eliminandum e ciuitate ac iure Latii vocabulum arbitror. Nam, qui huic etiam aliquem in libris locum concedunt, si Borrichii argumentis mouentur, fugit eos ratio. Borrichius quidem, vt erat vir industrius, qua verborum auctoritate vtitur, de libris dicta veterum promsit eis, qui fere nuper fuerant machinis descripti. Ceterum non videtur inspexisse vnquam calamis olim exaratos libros, membranasque praeclaras, quae solae controuersias dirimere, super scriptura vocabulorum natas tales, censentur posse. In meis, quas vidi tractauique multum, habeoque in manu, bonis membranis Plauti, Terentii, aliorum, constanter et vbique *miluus* in litteras relatum est, syllabis, vt pedum ratio in poetarum carminibus cogit, tribus. Si tamen est tanti, meum quoque testimonium, post auctoritatem Nicolai Heinsii, aliorumque, audiri. Hoc idem super Plauto attestantur mihi chirographa doctissimorum virorum, qui ad eum poetam olim Camerarii vetustissimas membranas et Eystedensem codicem rursus summa diligentia excusserunt. Quorum ego quantiuis pretii ad oras librorum notata, vt alia non paucissima eiusmodi, emendatiore editione aliquando castigandis veterum quorundam scriptis, vbi Deus spiritum otiumque studiis honestis concesserit, seruo. Non est hic dissimulan-

dum, *mulus* quoque per V, syllabis tribus, quemadmodum *miluus*, in membranis subinde scriptum inueniri, vt credibile sit, vtrumque veteres vsurpasse. Fateor etiam, semel omnino in membranis meis Ouidii Metamorphoseon, non vetustis valde, sed apprime bonis, quibus multum alias tribuo, expressum esse, *miluius*.

FABVLA XXV

Ceruus et Boues.

Ant. 48, Phae. II, 8

Haec de ceruo supplice bubus fabula inter scitissimas librorum quinque Phaedri merito est habenda. Tamen interspersit ille, qui Phaedrum fecit, hic quoque aliqua minime bona, quae in epitome Antiquarum litteris tradita non sunt. vt, *nemorosa latibula: venatorum necem: hominum tectum: omnes rustici*, pro bubulcis ac reliquis seruis: at liberi quoque in ea domo, ac dominus ipse, rustici: alia ad eum modum. Praeclara nonnulla, quae in Antiquarum oratione insunt, neglexit. vt illud antitheto elegans, *non quaesitum inuenit*. Non est dissimulandum aliqua alia eum quoque, qui pro Phaedro, adiecisse fabulae perquam faceta ac proba. *Cur frondis parum est:*

est: stramenta desunt: quae sequuntur. Ea tamen nos, quoniam nullo vestigio in Antiquis desiderantur, non ausi sumus tangere. Addidimus diuersa, in quibus non videmur inferiores discessisse Phaedro.

FABVLA XXVI

Canis et Lupus.

Ant. 45, Rom. 34, Phae. III, 7

Hanc quoque fabulam, quanquam minime infícetam apud eum, qui pro Phaedro, videmur copia orationis nonnulla meliorem fecisse. Reliquimus quaedam illi non bona; vt, *pulmentarium, quod quisque fastidit:* at, si fastiditur, quo pacto pulmentarium? rectum esset, si scripsisset, *reliquias pulmentorum.* Eorum, quae adiecimus, tenuia quamuis vestigia extant in epitomis. Vt ista, quae manifesta sunt membra poetae veteris, neglecta a Perotto, aut quisquis Phaedrum fecit: *nocturnum furem nuncio: otiosus vita fruor: sub tectis cubo: aqua nullo tempore deest mihi: fruere his, quae laudasti: nulla catena me tenet: innumerabiles mihi viae: nullus timor: de grege gusto: canes ingenio meo deludo:* atque alia eorum similia, verborum ac numerorum indicio, de poeta aliquo, qui Iambis scripsisset, petita.

FABV-

FABVLA XXVII

Scrutarius et Asellus.

Aes. 245, Ant. 47, Phae. III, 20

Hanc fabulam, quae *Negotiator* inscribitur in Antiquis, sine caussa idonea totam immutauit qui pro Phaedro, Gallos que matris deorum, mea quidem sententia, temere in eam introduxit. Ego restitui talem fere, quale eius argumentum e tenuibus epitomae vestigiis colligi poterat: nisi quod conueniens minus negotiatoris vocabulum sustuli, ac repossui in titulo quidem scrutarium, in corpore fabulae, quod oportebat, institorem. Solebant enim descriptores tales pro minus frequentatis praesertim vocabulis substituere cognita sibi ac pervulgata, sed saepe ab re abludentia.

FABVLA XXVIII

Vipera et Lima.

Aes. 187, Ant. 42, Phae. IIII, 7

Huius fabulae in principio quem versum qui pro Phaedro posuit,

Mordaciorem qui improbo dente adpetit,

mul-

multum friget, neque satis praecepti cuiusdam vtilis implet sententiam. Rectiora sunt, quanquam verbis ineptis, quae Antiquarum descriptor praestat. *Duobus malis*, inquit, *malus peiorum non dolet: nec iniquus iniquum superat*. Quorum verborum e vestigiis verum ego, nisi fallor, epimythium fabulae restitui. Non est autem dissimulandum, scitiorem hanc fabulam, atque aliter tornatam, in Graecis Aesopi periochis esse; corruptiorem inter Antiquas: corruptissimam in Phaedri libris. Illa quoque in verbis eius non optima olim notaui, *si qua res cibi: contra contumax: ferrum conrodere*. Frusta haec pars in Antiquis quaedam dactylici generis habet. vt istud,

- - *tuos vis laedere dentes*.

Equidem refeci, vt licuit, quae conuenientia putabam.

FABVLA XXVIIII

Musca et Formica.

Ant. 27, Phae. IIII, 23

Est haec quoque fabula de scitissimis earum, quae Phaedri sub nomine editae fuerunt. Attamen in hac quoque deprehenduntur emblemata nonnulla eius, qui trimetros refecit. Nam vestigium eorum, quae adiecta dixi, verborum

borum in Antiquis nullum est. Talia sunt, *laboro nihil*, et, *nihil laboras*, pro eo, quod oportebat, opus non facis, nihil habes dimensi, pensi nihil, quod per totum diem agas. Istud quam non sit Latinum, quam ei, qui Phaedrum fecit, familiare, vt *laborare* valeat opus aliquod certum facere, alias docui. Eiusmodi sunt quoque alia ibi insititia, atque illa explendae fere versus mensurae inuenta, *hominum discernit notas: exhibet solidum decus*. Equidem veriorem fabulam rescribendo secundum Antiquas, neque ideo deteriorem, vt spero, reddidi.

FABVLA XXX.

Caluus et Musca.

Ant. 66, Phae. V, 3

In hac breui quoque fabula obscura quaedam ac parum Latina pro Phaedro scripta sunt, vt illud,

Iniuriae qui addideris contumeliam:

et *mens laedendi:* et hoc abundans ac diffluens, *contemti generis animal improbum*. Epimythium quoque obscurius est. Non in epitome ista quidem, quanquam ea aliis rebus abludat:

LIBRO



LIBRO SECVNDO

FABVLA I

Canis senex ac Dominus.

Ant. 62, Phae. V, 10

Titulum fabulae, qualis est in Antiquis, integrum reliqui, quanquam verisimile sit, *Canis senex* natum esse fortassis e *Canis vetulus*, aut *Canis venator*. Nam, qui pro Phaedro, inscripsit, *Canis et Venator*. Sed haec, vltima eius quinque librorum fabula, breuior iusto apponitur ibi. Quaedam certe, vnde argumentum hoc ornari plurimum poterat, extant minime aspernanda vel in breuitate epitomae. Illa equidem pro libertate, quam mihi vbique vindicaui, explicandi fabulas vt vellem, restituere ei sum conatus. Eadem libertate trimetrum sententiae virtute satis mundum, qui legi ferme poterat ex oratione Antiquarum, quoniam numeri eius non respondent ad exempla potiora, intactum reliqui.

Quod fuimus laudas, iam damnas quod non sumus.

In Antiquis vero, *Laudasti*, inquit, *quod fui: mihi iam damnas quod sum.* Interim alio

quoque

quoque pacto licuerat adstrictius, verbisque melioribus, trimetrum modulatiorem refingere vel istum:

Olim probabas quod fui: quod sim modo

Damnare noli.

Ille tamen, qui plurima resecuit, cum Phaedrum de epitomis faceret, in breuissima quoque hac operis clausula quaedam de suo addidit non probanda. Nam, cum in principio recte posuisset e ratione huius argumenti, VELOCES *feras:* pro exemplo postea induxit feram non velocem, aut fugacem, qualem innuebat exordium: sed pugnacissimam, *Hispidi*, inquit, *pugnam suis*. *Hispidi* autem, vt etiam fulmen dentium metuendum videretur. Ineptum nobis ac paene cerritum ac medicandum venatorem narrat, qui hunc vnum canem vetulum apro tanto obiiceret. Sequitur inscitum illud in spondeon desinens,

- - cui senex contra latrans:

cuius nullum in Antiquis vestigium est: neque vlla grammaticorum benignitas hoc trimetri monstrum excuset.

FABV-

FABVLA II

Leo et Mus.

Aes. 221, Ant. 18, Rom. 16, Phae. app. 4

Haec non germana eius, qui pro Phaedro scripsit, sed in appendicem post libros quinque reiecta fabula, eo paene modo restituta ex Antiquarum verbis a Gudio, quo modo nos et hanc, et reliquas fecimus. Si quid rectius illi, an nobis exierit, intellegentes talium iudicabunt. Quare supersedeo iam nunc conquirendis his, quibus aut ille, aut Burmanus postea, in argumento eodem e communi velut penu scribendo, a nostra ratione distat. Aliqua tamen meliora in Antiquarum verbis hi quoque reliquerunt, vt hic *mures agrarii*, quod meo quidem animo mundius erat, quam quod Gudius praetulit, *mures rustici*.

FABVLA III

Homo et Arbores.

Ant. 44, Rom. 33, Phae. app. 5

Hanc quoque Gudius ex Antiquarum vestigiis fabulam fecit, si me audis, non bene. Ter enim conatus, neque filum narratio-

nis tenuit satis, neque abest multum a frigida siccaque tenuitate. Sed nihil attinet illa sequi pressius, postea quam in his fabulis iam nullum Phaedri ingenium qualiscunque, quod petimus, cernitur. In superioribus defecerat. Veruntamen, quia hae quoque, quas toto libro secundo posui, natae omnes de Phaedro fabulae doctis hominibus videbantur, egregius olim adolescens Ioh. Fred. Nilant, quum Antiquas ac Romuli fabulas e membranis ederet, multas earum, quia Phaedro deessent, conatus est redigere in trimetros Phaedrinos, e qualibus solutas fuisse credebat: omnes deinde, exceptis his, quae sub Phaedri nomine iam ante editae fuissent, V. C. Petrus Burmanus. Nilantii quidem si producere versus instituerem, traducere viderer. Non enim successit. Laudandus in eo conatus est. Spondeon subinde aut choreum sexto trimetrorum loco ponit. Quod eius erratum ante nos Burmanus annotauit, et, non esse concedendum, satis constat. Huius certe ipsius, vt erat eruditissimus, atque ingeniosus, et vberis quoque in pangendo carmine ac felicis venae, non deest fabulis oratio decora ac nitida, quae in fine Phaedri ab ipso iterum recogniti leguntur. Attamen, ne quid vel aduersus amicum quondam virum, vbi ingeniorum caussa agitur et veritas litterarum, dissimulem, est ille in partibus neglectior, et quia sibi numerorum licentiam permiserat eandem, quam in Phaedri libris

libris vſurpatam inuenerat, verbis ſaepe bonis parum vinctus. Diuerſi igitur diuerſa rebus multis, ille, et Gudius, et Nilantius, ego que, ex vnis commentariis, argumento eodem aut ſimili, ſcribere inſtituimus. Liberius certe ego, ac ſaepe copia narrationis ampliore: adſtrictius illi, maiore que cum ſolicitudine epitomen intuiti, et Phaedri qualiscunque exemplum, cuius tenuem breuitatem imitabantur. In hoc honeſtiſſimo ingeniorum certamine quis eorum ſuperior diſceſſerit, aut, ſi mihi quoque locus ſecundum illos recte datus ſit, iudicabunt alii harum ſtudioſi litterarum. Verbum praeterea non addam, niſi vt moneam lectores, me Antiquarum ac Romuli fabularum quaſdam conſulto praetermiſiſſe, quia argumentis minus mundae, vt vlla ope poſſint niteſcere, non putabam futurum.

Inter illa, quae interdum minus trita poſuimus, eſt, quod in fine fabulae XIII libro ſecundo *ſuperbiam* dixi *fratris incumbentem malis*, exemplo quidem Virgilii, apud quem monetur Anchiſes, dum moras trahit in Ilio capto,

> \- - - *ne vertere ſecum*
> *Cuncta pater fato que vrguenti incumbere vellet.*

Iſtud *fato vrguenti incumbere* quid ſit, muſ-

 ſanti-

ſantibus Seruio aliisque, aut aliena ab re proponentibus grammaticis, memini mē recte enarratum olim legere in epiſtola Vitebergae propoſita Pauli Eberi nomine. Sed ſcriptam eam a Melanthone puto. Ibi vero *incumbere fato* eſt, prementi ſuapte opera fatali exitio aliquas moleſtias, quae non inſunt, repugnando iniungere, et malis ſponte arceſſitis vrguere et cumulare malum. In alia fabula vulpis cum leone vigeſima ſecunda eius libri, qua exit epimythium, ſi cui impeditius videatur, quod ſcriptum eſt, poſſit me item volente hoc finire rem trimetro,

Serum eſt, negatos inde tentare exitus.



COROL-



COROLLARIVM FABELLARVM

FABVLA I

Honestorum purpura pudor.

e Libro paruo, qui *Mores antiqui* inscribitur,

Lipf. a. CIƆIƆCCXLV.

Fabula sub falso vetus edat vera. Prometheus
Circumiectum animis tegimen, ne, qualia quisquis
Intus agat, videas, mortalia finxerat ora.
Mentis consilia erectae, curuae que dolum, vna
Frontis simplicitas intra conclusa tenebat.
Saepe leui rumore bonus visus malus: ater
Albus erat: damno communi tectus vterque.
Hinc Nemesis vaga, iudiciis errantibus vltro.
Poena sequebatur meritos bene, praeda nocentes.
Errorem donec deus est miseratus, apertis
Vultibus adiiciens discrimina certa coloris,
Ac manifesta genis hominum decreta bonorum.
Mens vbi consilio se mouerit intus honesto,
Sanguinis emineat rubor alto clarus in ore,

Pectoris haec niuei sit purpura, dixit, et omnis
Annuit his natura. Bonorum tempore ab illo
Fronte pudor sedet ingenuus: frons ferrea prauis.
Ille tener tamen hoc praestanti munere vultus,
Cui deus impressit meditantis honesta colorem,
Fingitur, et multa in fraudem componitur arte.

FABVLA II

Societas pecudum cum Leone.

Vacca, ouis, et item capella, cum leone in saltibus
Proximae venationis societatem iunxerant.
Lege tali cum profecta quaeque notis callibus,
Actus in commune ceruus praeda vasti corporis.
Hoc super leo elocutus rite factis partibus:
Tollo primam iure partem, nam que nominor leo:
Et secunda fortiori iure cesserit mihi:
Tertiam mea poscit opera maior, et vestro labor:
Atque quarta cui placebit grande ego dederim malum.
Dum necessitate mussat ista circumstans pecus,
Praedam inermibus leonis improbi vis abstulit.
Foedera amplexator aequa viribus, pauper, tuis:
Cum potentiore nunquam fida societas tibi.



I N-

INDEX

titulorum, qui fabulis praeſcribuntur, in litteras digeſtus.

Prior numerus, isque maior, librum indicat: ſecundus minor fabulam: tertius paginarum eſt.

 Bos

B

C

Cornus

L

M

O

Paſſer

P

R

S

T

V

Vul-

FINIS



